6
20-e
1

6
31 Mo
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-20-e-1

20-h-10

Digitized by Google

Digitized by Google

POESIS
SACRA, ET PROPHANA.

Ex omnigena metrorum amœnitate conflata,
nouemque in Muſas diſtincta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVTHORE

D. PETRO DE COMITIBVS

ROMANO

Artium, & Sacræ Theologiæ Doctore, & Lectore.

Bibl. ser. Coll. Rom. S.J. ex leg. Card. Pallav.



VENETIIS, Typis Franc. Valuaſ. MDCLX.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MENSE Octobri proximè elapſo, citato greſsu, patriam Romam repetere cogitaueram, vt illìc & rebus meis domeſticis conſulerem, & ſimul honeſto itinere animum relaxarem. Diſpoſueram cuncta, nihilque planè deerat, quàm vt acceptis ocreis, nauem prius, mox equum conſcenderem. Cum eccè tibi prurienti ſolito vehementiùs cuti ſupèr dexterum pedem, vngues impatientiùs applico, tantùmque cutem protinùs ſcalpo, quantùm illa vnguibus cedens, rimulam facit, qualem vix tenuiſſimæ cuſpis aciculæ penetraret. Vulneris tenuitatem contemno, cæptumque animo iter attentiùs vrgeo. Dùm tamen expeditum me credo ad equitandum, paulatim humore ſuccreſcente, leuitèr offenſa tumeſcit cutis, pedemque facit paulò craſſiorem. Incremento obſtupefactus, dolorem conſulo ecquiſnam eſſet equitaturi pedis ſtatus? Ille reſpondet, offenſæ cuti de itinere maximè formidandum; neque enim ſine diutina quiete ad priſtinum poterat ſtatum reuocari. Accedente mox vnius, & alterius medicorum conſilio, domi ſiſtor tamquàm in carcere. Neque priùs pes detumuit, quàm Octobris dimidium elapſum fuerit. Poſt tantam temporis iacturam, cùm ampliùs optatum iter per tempus proſequi non liceret, ægerrimè Venetijs moram ſtatuo, ſolatium aliundè aucupaturus. Vt igitur autumnalium feriarum tædium ex parte leuarem, Peripato, Lycæoque omninò prætermiſſis, ad Parnaſſum propero, vbi Muſarum choreis, & cantilenis pellectus, Apollineas fides auidus arripio, tot iam annos rubigine quaſi oblitas, & corroſas. Applicato Sulmonenſis naſo, lyram perfrico, excuſſaque rubigine, veteres cantiunculas, quibus olim indulſi, ad penſum reuoco; ijſque permultis additis, codicem facio mihi quidem nullius pretij, Apollinis tamen iudicio (cui ſtatim ſubieci) non pęnitendum. In eum congeſſi poemata, elegias, lyrica, & epigrammata, prout meis manibus impegerunt, nullo facto diſcrimine inter prophanum, & ſacrum, vt videlicet

omni

omni hominum claſſi prophanæ, & ſacræ aliquod canendum ſuppetat inter legendum.

Opus autem in nouem partes digeſſi omnigena poeticæ amænitatis varietate refertas, quarum ſingulas Platonis exemplo, ſingulis Muſarum nominibus compellaui. Sicut enim non omnes eodem rapimur æſtro; nàm Orpheo præcæteris arriſit Calliope, Muſæo Vrania, Homero Clio, Pindaro Polymnia, Sappho Erato, Melpomene Tamiræ, Terpſicores Heſiodo, Thalia Maroni, & Sulmonenſi Euterpe; ita nec ſemper eodem ſcribendi genere delectamur. Tu ergo, benigne Lector, ſi quid in tota hac vtriuſque claſſis poeſi fortaſsè repereris, quod tibi minimè videatur elaboratum ad Venuſinam lancem, quod videlicet *non multa dies, & multa litura coercuit, atque perfectum decies non caſtigauit ad vnguem*: Memineris, me tantùm per tranſennam carminibus vacaſſe, totum contemplatricibus occupatum. Quare ea, quæ poſtremam adhùc manum non ſenſere, doleant, illam Phyſicorum operi, quod logicis, & metaphyſicis addere meditatur, totam quantum valet, noctùque diùque penitùs implicatam. Quòd ſi qualiſcumque fuerit conatus is omninò non diſplicuerit, & me derepente poetam prodeuntem Parnaſſo inſerere non recuſaueris, animum faciam ad eloquentiam; & ex Poeta Rhetor factus, alterum tibi codicem, ſoluta numeris oratione compactum, ex politioris litteraturæ veluti officinis libentiùs dabo, poſtquàm tamen ſecundum ex philoſophicis tomum elucubrauero. Neque videatur mirum, ſi vel ſtyli diuerſitas, vel rara in ſyllabis licentia legenti occurrerit; nàm paucorum dierum interuallo, neque omnia ſimul gigni potuere, neque genita perfici. Siquidèm vrſa informem maſſam, quam diebus grauem initio emittit ex aluo, nón niſi menſium ſedulo linguæ ſtudio in filium format. Nouam igitur prolem veteri inſerui, ex ijs, quæ his proximè elapſis annis, Auditoribus tradidi exercitationis ergo, & delectationis, vt philoſophici Curſus totiès repetiti innatas aſperitates, accerſitis ex Parnaſſo leporibus delinirem. Cæterùm multorum nominibus Muſas nuncupaui, non quòd illas tanti faciam, vt ſingulas cenſeam vel maximo Heroi, ingentis poſſe inſtar muneris dari; ſed teſtor Deum, me alia de cauſa hoc non feciſſe, niſi vt aliquali ex parte Dominorum beneficijs, quibus me in dies cumulatum ſentio, ſatisfaciam. Ex meis viridarijs non alij naſcuntur flores, quàm carmina, declamationes, & argumenta. Illis igitùr debeo patrocinantium Principum immortali memoriæ ſemper litare: Spero tamen, ſi per vitam licuerit, his ijſdem, quibus nunc pauca nuncupo vt Vates carmina, futurum vt multò maxima queam, ſubliniore dicendi genere conſecrare.

Digitized by Google

C L I O
SACRA, ET PROPHANA
Sub
MAZZARINIS AVSPICIIS
POST IANVM CLAVSVM,
Ad numerum obſequentiſsimi
DISCORDANTIVM APOLLINIS,
Multiplici carminum genere
decantata.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſsimo, & Reuerendiſsimo Principi

IVLIO MAZARINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Duci Omalæ, Supremo Chriſtianiſſimi Regis à conſilijs, &c.

Petrus de Comitibus Romanus fauſtitatem.

SVSPIRATAM tandèm, tua ſolius opera, PRINCEPS EMINENTISSIME, ad portum feliciter euolaſse, poſt tot exanthlata terræ, mariſque pericula, paciferam Columbam vidit, & lætatur Europa. Tua manu clauſimus templum Iani tot luſtra noſtris damnis apertum, vnde ſenſimus totiès Martem ferocientem, & ſæuientem Bellonam. Tuæ debetur induſtriæ, hoſtiles Regum animos ſanguineis bellis efferatos, ante aram Clementiæ arma depoſuiſse; & nè quid in poſterùm diſcordiæ timeatur, ſancitis nuptijs, perpetuo fœdere ſimul co-

 pulatos.

Digitized by Google

pulatos. Reſpirat Gallia palmis quidèm nobilitata, ſed illarum pondere etiam labefactata. Exultat Hiſpania vel in ipſis aduerſantis fortunæ ictibus ſemper infracta. Geſtit Germania, vicinam liliorum fragrantiam tot cadauerum cumulis, ſanguiniſque fluminibus pænè eſtinctam, poſt multa luſtra ſibi reſtitutam, cuius virtute ſperat breui, è Rheno eijciendos fędifragos Leopardos, & veneniferos angues Iſtro abigendos, quorum eluuionibus ex arctois plagis horridè erumpentibus, felicitatis ambroſiam ſenſerat vitiatam. Gaudet Sarmatia Tui CHRISTIANISSIMI REGIS fortunæ vſque adeò intentâ, vt veluti propriam cenſeat Galliarum felicitatem. Quandoquidem ex illo florentiſsimo regno ſicut ſibi non defuere maximi Reges ad Reipublicæ clauum adminiſtrandum; ita non defutura iam credit maxima verè ſubſidia ad præliandum. Quid dicam de tua Italia? Sabaudia recuperatis Vercellis: externis hoſtibus Inſubria liberata: imminenti periculo erepta Liguria: Hetruria ſuſpicionibus vindicata: ingentis ſpei Venetiarum Reſpublica ſuffulta præſidio: priſtinæ fidei tranquillitati reſtitutus Pontifex: cęterique minores Prin-

cipes

cipes, quà affinitatibus, quà honoribus, quà promiſsis, quà largitionibus recreati, omnes tandèm MAZZARINAM virtutem æternis laudum periodis immortalium, tamquàm de Cælo delapſam, ad Cælum vſque ſuſtollunt. Et quidèm tot Principum fędera vtrinque firmata: tot arcium capta propugnacula: tot aggeres ſolo proſtrati: tot Vrbes mænibus denudatæ: tot exercitus fuſi: deſolatæ prouinciæ: Principes, alij è ſede turbati, alij ad ſedem euecti: Luſitania Iberis auulſa: Britannia acephala: attritum Belgium: vacillans Dania: laborans Sarmatia: diuiſa Germania: afflicta Italia: Helleſpontus, Ionius, Adria, Oceanus claſsibus perturbati, vſque adeò implicitam prouinciam præſeferebant; vt plerique iam de remedio deſperarent. Tu ſolus loris manus apponere inextricabilibus non formidaſti. Et iure quidèm, nàm quem nodum ſexcenti alij pluſquàm Gordianum incaſsùm ſemper tentauerint explicare, IVLII, hoc eſt GALLICI ALEXANDRI non enſe, ſed ingenio vidimus explicatum. Scilicèt animorum diſsidia, quę quamuis diuiſionem faciant, in ipſa tamen iurium diſſenſione, odia odijs nectunt, quorum vincula tunc ſolùm ſolo

pro-

proſtrata cadunt, cum nexus cordium nexibus implicantur. Quàm igitur ſapientèr diſcordias maximorum Regum maximas maritali nexu, hoc eſt omnium arctiſsimo, quia cordium, extinxiſti! Siquidèm ſciebas, ignem non vi, ſed amplexibus præfocari. Igitur tot inter mundi gratulabundi plauſus, meam Muſam Tuas victorias carminibus repetentem audire non dedigneris. Dùmque communi Chriſtianæ Reipublicæ bono generoſus conſulis, memineris, te Venetæ nobilitatis verè aureo libro, tamquàm gemmam pretioſiſsimam nupèr inſertum, vt illi ſtrictiore amoris vinculo coniungaris, cui tàm perfidis odijs inſultant Thraces. Retundè inſanientis Lunæ proteruiam contumaciſsimam: TVIQVE REGIS LODOVICI XIV. innumerabilibus triumphis Thraciam inſere catenatam. Potes vno verbo victricia Lilia impellere in Byzantum. Effice, vt Tua Patria, Te demùm ſentiat vindice recuperatam Cretam, bellique faces extinctas cum tàm crudeli Tyranno. Nè faſtidias, me Romanum benè ominantem Venetis per meas fides; Nàm Venetiarum Vrbem ſeptennium incolo, eamq; alterius loco amantiſsimæ

mæ

mæ Parentis amplexus ſum, poſtquàm me vidi vt filium amplexatum. Meam igitur Muſam vt patriam excipe; meorumque obſequium carminum deuotiſsimum, vt Veneti ſimul habeas, & Romani; quandoquidem TE vt Romanouenetum colo, immò vt Romæ, Venetiarumq; inclitum fulcimentum, & communis fidei vnicum propugnaculum. O vtinàm ex tanti regni habenis, quibus, TVI REGIS humanitate, tot annos præis digniſsimus Purpuratus, Te Vaticanus excipiat redeuntem, poſt firmatam pacem in Republica Chriſtiana, triplici diademate coronatum. Vale diù Tibi, & Mundi felicitati.

Venetijs idibus Aprilis 1660.

CAR-

CARMIMVM ELENCHVS

Quæ Venetijs in Mazzarinum triumphum Romana cecinit

Petri de Comitibus Clio.

VOtum Pacis, Poema.
Ad Iulium Cardinalem Mazzarinum, Elegia.
Ad Lodouicum XIV. Galliarum Regem, Epigramma.
In ſunere Michaelis Cardinalis Mazzarini Iulij fratris, Epigramma.
In Diſcordiam, Elegæ Diræ.
Ad Rempublicam Venetam Gallorum auxilium recipientem, Epigramma.
S. Raymundus pallio traijcit mare, Epigramma.
S. Alexius domi peregrinus, Epigramma.
Melithonis Martyris inuicta Genitrix, Elegia.
In ſunere Caroli Contareni Venetiarum Ducis, Epigramma.
Ad Ioannem Caſimirum Poloniæ Regem, Epigramma.
Vndatio Tyberis per Vrbem Romam, Epigramma.
In Zeucum iactantem antiquitatem ſuæ nobilitatis, Epigramma.
Aliud in idem argumentum.
N. N. Dum Peruſiam redit per inſidias interficitur, Epigramma.
In maledicum Vatem, Epigramma.
Ad N. De mari, dictum per iocum de amphitrite, Epigramma.
Albertus Ciuranus Authoris Auditor iuuenis fato cedit, Epigramma.
Auguſtinus de Comitibus Authoris frater, in ipſo ætatis vere occidit, Epigr.
Ad eundem mærentem in morbo, Epigramma.
Ad eundem ridentem in morte, Epigramma.
Villa Tyburtina Adriani Imperatoris, Epigramma.
In Alexandrum Pheræum Sicarium præmittentem, Epigramma.
In Puerum vagantem tempore belli, Epigramma.
Quintius dentis fractione ex apoſtemate conualeſcit, Epigramma.
Domus ingens ventorum turbine cadit, Epigramma.
Aliud in idem argumentum, Epigramma.
In Vatem obſcuriſſimum nomine Ancum Paluſinum, Epigramma.
Ad Principem Tunetis, dum Romæ Authoris inuiſeret Academiam, Epigr.
Eiuſdem luſtrale lauacrum, Epigramma.
Ex vitula Puerorum luſu vaticinatio, Epigramma.
Chriſtus naſcitur in ſtabulo, Epigramma.
Chriſtus noctu naſcitur vt Sol, Epigramma.
Puer Ieſus circumciditur, Ode.

VOTVM PACIS

INTER PRINCIPES CHRISTIANOS

PRO' SERENISSIMA

VENETIARVM REPVBLICA

CARMEN EPICVM.

PROLVSIO.

Sæuiente in Europam Turcarum bello, vt hydram hanc tollamus è medio, nouo ſemper virium incremento repullulantem, placet hic heroico carmine Principum Chriſtianorum animos inflammare, vt mutuis depoſitis odijs, ictoq; ſimul cùm Venetis fœdere, vnà omnes ruant in Turcarum excidium.

QVIS furor ò Superi? Quæ tanta libido nocendi
Vos & in arma vocat; dextraſque impellit ad arma?
Parcite Chriſticolis, poſitaque tricuſpide flamma,
Exarmate manus. Facinuſne laceſſit, an ira?
Reſpicite in terras placidi, & reuolubilis orbis
Cæli, adamantæo ſinuoſa volumina clauo
Siſtite, virgineis dum Sol ſpatiatur in vlnis,
Aureaque excurrunt Saturni tempore ſecla.
Gorgoneos vultus, Mauortia turbida noſtro
Lumina conſpectu remouete. Hinc exulet ater
Scorpius, erectæ metuendus forcipe caudæ.
At ſi non alia bellorum ſidera finem
Decreuere via, totoque parabitur orbe
Alma quies populis, per denudata parentis
Europæ indigno natorum viſcera ferro;
Bella placent, Superi: lætamur ſanguine venis
Effuſo: ſcelerum gaudemus vindice Thrace.

Nuda patent veſtris mucronibus ilia; telum
Figite; nil querimur, grateſque rependimus vltrò.
Pax erit vna malis tantis ampliſſima merces.
Tu Superùm moderans acies, qui tempora giro
Perpetuo regis, & conſtanti errantia lege
Sidera componis, varioque inimica labore
Muneribus diuerſa ſuis elementa gubernas:
Tu mihi carminibus cupienti pandere mundi
Vota, triumphantis per debellata Baratri
Agmina, & Eumenidum concuſſa timoribus ora,
Ora veneniferam terris halantia peſtem
Bellorum, Aſtreæ reducis ſuper axe quietis,
Dà faciles muſas, placidoſque in mente furores.
Vt primùm ſonuere tubæ, metuendaq; Thraces
Explicuere auris vexilla minantia lunis.
Ingemuere ſali indignati pondere fluctus
Adriaci, raucoque vlularunt murmure circùm
Littora, Threijcias numquiam paſſura carinas.
Supplicis in morem pendentia Cærula mittunt
Naufragia, Auſoniam hinc, atque hinc claudentia terram
Barbarico indignata iugo; diroque precantur
Seruitio Venetos redimi, auguſtumque Senatum.
Qualis hyperboreas fertur timuiſse pharetras
Xerſis ab imperio quondam, cum milite littus
Barbarus, abiegniſque oppleuit Nerea vallis,
Sedibus excitus Pontus, totuſque profundo
Helleſpontiacus tentata ad bella minaces
Fluctus armaſſe, & toto æquore tempeſtates.
Induere arma viros adigit metus. Omnis in arma
Turba effuſa ruit: viduantur ciuibus Vrbes.
Tora pauore tremit tellus Oenotria: claſſi
Cæditur omne nemus: iurato fœdere puppes
Vndique concurrunt: completur milite pontus.
Adriaci Regina maris (cui cælitus alti
Iura manent Ponti, centumque habitata per Vrbes
Inſula, inexpleto fugientis ab ore parentis
Nobilis hoſpitio, pharetras, largumque lyæum
Mille cadis mittit, repetita tributa quotannis)
Ampla quaterdenis armamentaria longis
Puppibus ærata ſolui compagine; & octo

Imperat

Imperat educi grauiori mole carinas.
Vndique ſolliciti cogunt ad bella maniplos:
Arma parant, lectique duces ſtatione locantur
Proximiore ſalo. Subeunt mare carbaſa circum
Selecta, & poſci totidem auxiliaria mandant.
Centum Oratores diuerſa ad littora Regum
Ire iubent, totamque in Thracem excire iuuentam
Europæ, ſacrique Duces ad fœdera belli.
Communem memorant cauſam, dirumq; Tyranni
Votum Threijcij, populari auguſta Tonantis
Templa Dei, triplicemq; auferre è fronte coronam
Chriſtiadum Capiti, dextraque vicaria Cæli
Sceptra, nigri parent queis Tartara cæca baratri,
Et centumgemini veniunt ad iuſſa comantes
Æthereæ ſedis ſublimi ex arce pyropi.
Det meliora Deus. Quid ſi contingere Petri
Limina ſuccedat? pretioſaque ſcandere molis
Culmina, Byzanti dederint inuiſa Tyranno
Fata? (perhorreſco referens, gelidusque per artus
Sanguis abit pauidos) ſuper illa altaria iactat,
Illa ſuper, mactata cadens vbi victima dextram
Numinis ardentem ſpoliat renouata triſulco
Fulmine, diuinoſque Deo ſacramus honores;
Setigeros grunnire ſues, latrare moloſſos,
Et mugire boues, recubare armenta ferarum,
Numinis in probrum, velut in præſepibus altis,
Septeno viſenda iugo dare, equoſque cruore
Paſcere diuino, ſacræque volumina carnis
Tegmine ſub Cereris contecta, in pabula ſæuis
Proijcere acta feris, raptor minitatur Idumes.
Tantùm opus incæpto eſt, Proceres. Res ipſa triumphum
Vix incæpta dabit; nobis dum militat æther.
His Proceres accenſi omnes, VENETIQVE SENATVS
Maieſtate, viros, armataque vela remittunt.
Soluunt Meſſana puppes, fortique Liburno
Trinacriæ, Etruſcæque ſimul, quas pallida cernit
Luna, coloratas effuſo ſanguine Thracum;
Auertitque oculos, toties iam paſſa labores
Illarum aſpectu, magnique rubentia ſignis
Arma recognoſcit victricia FERDINANDI.

Hinc MELITÆ aduerſo properant è littore puppes
Septem, Trinacrij linquentes terga Pachini,
Queis cruce candenti radiant vexilla, trophæis
Bizanti, & ſpolijs oneratæ. Quæque ſubacto
Sole, triumphato redeunt ex orbe carinæ
Eoo, Heſperij metuentes Iuſſa Tyranni.
Aduениunt celſæ vicino è littore Romæ
Regnatricem auris pandentes Montibus Ornum,
Queis Vaticana præfecit ab arce Priorem
MAGNVS ALEXANDER Ghiſia de ſtirpe Nepotem.
Ac veluti Argiuæ quondam fortiſſima pubis
Robora, Peliaco prognata cacumine claſsis
Certatim coeunt aurata in vellera monſtri
Ætæi, exhauſtis Macedûm cultoribus agris;
Vndique conſurgunt in Turcica ſigna Liburnæ.
Quamuis non omnes ſancito fœdere belli
Seruauere fidem, cum mars violentiùs inſtat.
Vt ſimul exciti diuerſo è littore claſſes
Conuenere Duces; inferre ferentibus vltrò
Arma inimica parant, belloq; excindere Thracem.
Carbaſa dant auſtris, telluſque, Vrbeſque recedunt.
Iamque ſecant fluctus, quà ſe nemoroſa Zacynthos
Explicat in pontum, cum tota tremiſcere longè
Viſa Cephallene Phœacia littora circùm.
Et veluti ſubito ventorum turbine mugit
Percuſsum nemus; aut mare tempeſtatibus actum,
Tellus horrendùm ciet indignata boatus.
Prodigijs hæſere Duces, conſiſque morari
Iuſſis, attentam ſonitu quiſque erigit aurem.
Quò properatis (ait) per inhoſpita littora veſtris
Claſsibus, inuito Cælo? Quò tenditis abſque
Sequanicis turmis, belloque potentibus armis?
Aurea ſi deſint volitantia lilia ſignis,
Vaticinor, numquam patietur Iſaurica nexu
Palma maritali Adriacis, Triquetriſque cupreſsis
Sponte ſua iungi. Renuentem nec metet enſis
Veſter; adhùc etenim ſtat forti palma Garumnæ
Debita, tot ſeſe iam deuoluentibus annis,
Vni Gallorum fato ceſsura, vel armis.
Terrarum ſic namque iubet cui ſumma poteſtas.

Ecce autem dum cæpta viri mirantur, aperto
Horridus aſpectu conſurgit ab æquore Triton,
Inflexoque ciet metuenda tonitrua cornu.
Intonat omne nemus circum, reboantque cauernæ
Quà mare naupacti reſonantia littora plangit;
Senſimque humani contectus imagine vultus
Terrificum inflectit ſonitum, verbiſque coegit
Impactos ſeruire ſonos, confuſaque tornat
Murmura, in humanas labris abeuntia voces.
Ite, ait, ò celeres quà ſe Tyrrhenus, & ingens
Adria perpetuò bellorum turbine verſant,
Exercentque odijs ſecti confinia regni.
Ionios fluctus, tempeſtateſque Triquetræ
Stat remeare nouus labor, & vaga littora rursùs
Auſoniæ niueis contermina viſere Gallis.
Ite, iubente Deo, ſocioſque accerſite Gallos.
Hæc vbi dicta dedit, ſaltu petit ima profundi.
Nec mora: ventorum vis inſaniſſima claſſem
Reddidit Ionijs perniciùs ære triſulco
Nubibus immiſſo, iaculoque volante, procellis.
Inde Ararim, Rhodanumque bibunt, Magnique Nepotem
Regnantem Caroli LODOVICVM audacibus annis
Miſcentem canos adeunt, fixamque Parentis
Inſpirant mentem, ſceleratum perdere Thracem.
Annuit ille Deûm monitu, bellique reuertunt
Fædere ſancito, gemina cum claſſe Zacynthum.
Hìc inſtauratis proris, duroque labore
Milite tranquilla terræ ſtatione leuato;
Soluunt vela viri, tumidiſque fauentibus auſtris,
Gnoſſia ſolliciti meditantur littora nautæ.
Iamque ſalum tenuere rates, quà proxima Cretæ
Littora proſpectum, in ſpeciem ſinuoſa theatri,
Fluctibus Adriacis pandunt. Cum vela remitti
Continuò, puppeſque fero velut anchora morſu,
Vel remora occulta teneat virtute, morari.
Vmbræ nigrantes vmbræ, quas magnus adacto
Enſe olim ſtygias miſit LODOVICVS ad vndas,
GOFFRIDVSQVE Acherontæis è ſedibus imis
Excitæ gemuere ingens, triſtique videntur
Actæ vlulare metu. Quales veniente ſub Orcum

Amphi-

Amphitrioniade, effingunt timuiſſe carentes
Luce Vmbras, nece Gerionis, ſpolijſque ſuperbo
Lernæis, totumque humeris qui geſſerat axem.
Quique reluctantis triplicis ceruicis hyatus
Cerberei canis indomitos, ingentibus auſis
Subdiderat frænis, duriſque ter ora lupatis
Edomitum, noſtras vinctum pertraxit ad oras.
Queſtibus ingeminant queſtus, inhumataque Thracum
Oſſa, obſcuratæ quondam immortalia Lunæ
Gnoſſiacis diſperſa vndis monimenta, Baratri
Arte coacta, locumque citæ redeuntia in vnum
Vmbrarum comites, ceu propugnacula belli
Diſpoſuere, inſtar tumuli, ſub gurgite vaſto,
Ordine continuo ſcindenti cærula vallo.
Atque catenato circùm, velut aggere latè
Clauſere Ioniam, quà ſe Minòia versùs
Littora tempeſtatibus explicat Amphitrite.
Imoque excitæ verba indignata profantur:
Emenſam remeate viam, tractuſque profundi
Ionios cum claſſe viri, Scyllæque procellis
Reddite vos iterùm, patriæque reducite claſſem.
Quid vexatis adhùc miſeros? damnataque luctu
Agmina perpetuo renouata excitis ad arma?
Nondum veſtra ſitis ſatiata eſt ſanguine Thracum?
Nec mora: Neptuni per turbida regna vagantes
Conuoluunt pontum. Tolluntur in aſtra furentum
Agmina lympharum, miſceturque æquor Olympo.
Diſijcitur claſſis, rabidiſque agitata procellis,
Pars Triquetros repetit fluctus: pars clara Zacinthi
Littora: pars Macedùm: pars Naupactęa pererrant
Aliger interea, cecidit cui Numine terræ
Cura Paleſtinæ, Cæli viridaria luſtrat
Sideribus diſtincta aureis, ſummæque vagatur
Diuitijs opulenta domus proſcænia; & alta
Audijt ingentem clamorem ad ſidera tolli.
Diſcidit aurato nubes per inane nitore;
Nigranteſque ſerenato Cælo, aſpicit oræ
Inferioris opes, commiſſaque regna reuiſit.
Chriſtiadum videt iratis per cærula claſſem
Fluctibus hùc illùc diſpergi, actuſque pericli

Pon-

Pondere, tartareoſque dolos agnouit, & aſtus.
Nos Erebo vincemur, ait? puppeſque peribunt
Me ſpectante? Vmbræque canent, Maneſque triumphum?
Oraque criniti componens ſyderis inſtar,
Concutit oſſa metu, ſtrageſque, neceſque minatur
Fluctibus, excitis ni tempeſtatibus obſtent.
Pontumque increpitans, ſummum pernicior euro
Regem adit, aſtrorum qui diuidit orbibus annos.
Vt ſtetit ante ſacrum ſolium, auguſtumque tribunal,
Ingemit, & larga lacrymarum aſpergine malas
Perfuſus, tales ſingulribus interruptos
Edidit ore ſonos: ô diuûm, hominumque volupras,
Riſuſque aſtrorum, miſerare doloribus arua
Paſſi ſeta Dei, natique tepentia cæde,
Cuius adhùc calidus ſeruat veſtigia ſanguis.
Vulgus Ieſsæo genus alto è ſanguine ducens
Seruirio redime. Heu quid adhùc tam barbara regnat
Gens inuiſa Polo? Claſſiſque peribit inulta
Chriſtiadum, ſceptrum propugnatura Tonantis?
Comprime tænareos aſtus, Pontique furores.
Annuit æthereæ ſedis regnator; & alta
Ex arce, Aligerûm cuneum demittit, vt vndas
Arceat, & fluctus, tempeſtateſque repellat
Longiùs à proris. Velocior ille citato
Fulmine, nigrantes latè per inane procellas
Diſcindit, ventoſque ſecat, nimboſque ſonantes.
Inſtar cærulei puppes velaminis ambit
Obſequioſa cohors, ſupra, parteſque per omnes
Textilis in morem circùm ſinuatur amictus.
Proſpectu ereptæ, Aligerûm ſub tegmine puppes,
Diuinaque regente manu, per Nerea tutæ
Hùc illùc properant. Qualis Noæa ruenti
In commune nefas pelago, totoque procellis
Immiſſo Cælo inſultat, ſecura per orbem
Vndantem; Cælique minas, rabiemque profundi
Temnit, centenos abies fabricata per annos.
Eſt in ſeceſſu Cretæ, anguiferæque Ophiuſæ
Inſula, Niliacis aduerſa; huic Carpathon olim
Nomina fecere agricolæ, diuiſa capaci
Multa ſinu; fouet obliquè ſinuoſa receſſum,

Digitized by Google

Ingentique aperit Neptuni è fuſcina aſylum
Claſſi, commotis iam tempeſtatibus actæ.
Hùc paucis Ductor collectis puppibus, omni
Ex numero ſubit, & diſperſa recolligit arma.
Intereà Thraces, ſedatis fluctibus, alto
Credunt ſe Ponto audaces, Zephiriſque relaxant
Carbaſa; rimantur fluctus, prædaſque carinarum
Exquirunt, pelagi quas iam ceſſiſſe furori
Crediderant; claſſemque feris abijſse procellis,
Scilicet Aligerùm denſa teſtudine tectam.
Fumigeram cernunt ſuſtolli ad ſidera nubem,
Igne vbi ſiccabant crepitante, madentia nautæ
Veſtimenta, ciboque artus, animoſque leuabant.
Illùc ſe celeres vertunt, tonſiſque fatigant
Æquora ſolliciti, proraſque aduertere tentant,
Quà circumfuſis reſonat clamoribus æther.
Iamque improuiſo deterritus hoſte, vlulatu
Æthera complebat miles, propiùſque receptos
Formidat Thraces; fugiunt ſed lumina puppes.
Infrendit rabie Ductor Muſtaphus; & inquit:
Quis Deus è manibus rapiet? Me noctis imago
Vicerit? ardentem poſsum qui cuſpide Solem
Figere, Threijciæ miſcens certamina Lunæ?
Deſperate fugam, quamuis in claſſica turmę
Veſtra ruant Erebi, totuſque potentibus herbis
Excitus Phlegeton, Vmbræque ſilentis Auerni,
Et coniuratæ veniant ad prælia nubes.
Omnia virtuti cedunt. Claſſemque bicornis
Inſtruit in ſpeciem Lunæ; quàque aſtra nigreſcunt
Fumo, acies vallant, tormentorumque corona
Littora circumeunt, repetitaque ſibila glandis
Ærate ingeminant: accenſa tonitrua flammam
Concipiunt, redduntque feros exploſa boatus,
Fulminis in morem, ſciſsa dum nube dehiſcit
Cęlum, Chriſtiadum tormenta hauſtura cruorem.
Iamque Duces ſpiſsa telorum grandine cęcam
Ante oculos cernunt cum mortis imagine noctem.
Ecce tibi rauco criſpari murmure Pontus,
Ebullire vndæ, tractuque dehiſcere longo
Cærula vorticibus. Qualis vaſto ore refundit

Æquora

Æquora Phyſeter, Pontuſque reciprocat æſtu.
Accelerant valido translatæ turbine puppes,
Aligerique coacta miniſterio, cui curæ eſt
Gnoſſia, Chriſtiadùm hùc toto volat æquore claſſis.
Vt procul aſpexere acies in bella paratas,
Diſtrictos enſes, nigrantique æthera nocte
Ictibus obduci, tumefactaque cornua Lunę
Paſſa (nefas) auris, Solimis horrentia ſignis.
Aptant ſe bello, tormentaque puluere fęta
Artifice in girum explodunt, aduerſaque tundunt
Agmina Turcarum; lunataque robora ſpiſſo
Telorum nimbo quatiunt, claſſemque flagellant.
Fit fragor, æra ſonant, taurinaque tympana pulſu
Bellica ſęua canunt, animoſque ad prælia flammant.
Thracia tunc primùm defectum Cinthia fertur
Extimuiſse ſibi, proprioque in ſanguine mergi.
Arripuere fugam Odriſij, Lunamque cruore
Inficiunt fuſo, tempeſtateſque colorant.
Inſtant non viſæ puppes vtrinque, adiguntque
Deſperare fugam, contortis fulminis inſtar
Glandibus æratis, & tempeſtatibus igneis.
Strage virùm cumulata ratis, compagibus haurit
Diſciſſis quæcunque ſalum, cui Luna cruore
Nunc demerſa ſuo, nuper Cretamq; Triquetramq;
Auſoniaſque plagas promiſerat, impia belli
Præmia ſanguinei. Tollit velamina nubis
Aliger intereà. Victrices æquore puppes
Chriſtiadum apparent, & amica vtrinque ſalutant
Signa Duces, gemino domito ſimul hoſte. Manipli
Ingeminant plauſus, renouantque in fędera voces.
Inde omnes læti Minoia littora rursùs
Victores repetunt, vinctas poſt terga trahentes
Relliquias Thracum, prędatriceſque carinas.
Ecce autem dùm celſa procùl Gortinia ab alto
Littora proſpectant (dictu mirabile) viſa eſt
Vertice ſideribus moles operoſa minari.
Obſtupuere omnes molis nouitate, repentè
Tantum opus audaci conſurgere fornice ad aſtra.
Aduertunt terræ proras, ſubeuntque frequentes
Auguſtas ædes, quà porticus aurea ſummæ

Appendix pretioſa domus, ſaturata ſmaragdis
Limina pandebat, regalis ad oſtia tecti.
Hic picturato relegunt auguſta ſuorum
Maiorum monimenta, electro animata, notiſque
Fuſilis argenti, atque auri diſtincta, cubanti
Ipſa in mole tholo. Hic te LODOVICE Canopo
Præbet, adoratum ſitiens ardoribus Afer.
Illic ſubmittit faſces tibi Cinthia, magne
CAROLE Iberorum Decus immortale, ſubactis
Enſe ſuperbificis Lybies ceruicibus; acta
Te GOFFRIDE ſuperſtitione, pauefcit Idume.
Inde fluunt fuſo manantes ſanguine riui;
Alta cadaueribus congeſtis æquora ſurgunt
Montibus æquata hinc, & profligata Baratri
Neſcio quid triſte, ac ferale querentia ſignis
Agmina ſanguineis, candentibus icta maniplis,
Quos MELITE immiſit, ſtygias remeare paludes
Confuſa, atque tenebrarum obſidione recingi.
Prodigio attoniti Proceres hæſere, diùque
Mirabantur opes, & regia facta Suorum.
Tandem regalis cecidere repagula portæ;
Machinaque immenſum in ſpeciem curuata theatri
Explicat alta ſinum. Celſi ſtat ianitor oſtij
Aliger Ionij cuſtos. Subeunt Duce tanto
Limina Chriſticolæ. Proſpectu ante omnia ſummo
Incubat altari paſſis argentea pennis
ALBA COLVMBA, caput triplici redimita comanti
Stemmate, bis ſenis hinc atque hinc ſydere notis
MONTIBVS, & gemina ſuper arbore ſuſtinet alas.
Circumquàque aureis fęcunda nitoribus ingens
Pallas, baccarum ſatiata repullulat auro.
Ordine quincuplici gemmatus vtrinque columnis
Suſtentatus abit fornix, phrygiatus Olympi
Arte, reuoluendos orbes, mutandaque Regum
Sceptra: Paleſtinum turbandum è ſede Tyrannum,
Pandit Erithræis ventura oracla lapillis.
Hic Lunam obſcuratam: illic dominantia latè
Lilia: victrices Aquilas: celſoque triumphantem
Axe ſuper Dominum Ægæi, Adriacique Leonem:
Demùm, & adoratam Scythiæ te maxima ROMA.

Talia

Talia dum ſecum mirantur, cuncta docente
Aligero, trepidare ingens, excita tumultu
Ædes, commotiſque quati omnia fundamentis.
Nec mora: ſublimis reſeratur machina, centumque
Adueniunt, queis certa ſubeſt cuſtodia regni,
Æthereæ Mentes, Populorum moribus, ore
Conſimiles, habituque, Cyprique, Rhodique, Garumnæque,
Auſoniæ, Heſperiæ, Regnique quod alluit Iſter.
Aduenit Eufratis Cuſtos, totiuſque Orientis,
Tigridis, Æthyopumque ſoli, Mæmphitidis oræ:
Et quà bruma riget, quàque exſiccata calore
Solſtitiale caput flagrantibus aſpicit oris
Tellus: quà Tanais violentus nomina tractus
Diuerſi impoſuit ripis: quà Sarmata Moſchos
Exercet Marte affines: quà Colchica Phaſis
Rura ſecat: niueo includunt quà gurgite Bactra
Errantes Populos, nigriſque Hircania ſyluis.
Vt medium tenuere omnes, quà vertice ſurgunt
Templa Polo; ante aram binæ, ternæque recuruo
Poplite, demiſſa venerantur fronte Tonantem.
Et decuſsatis manibus, votiſque fatigant
Thure vaporatas aras. Mox vota precantum
Quæq; ſuorum, aræ impoſitum cryſendeta in altum
Ordine demittunt, Numen poſcentia pacem.
Ipſa quoque Ionij cuſtos coniecit in vrnam
Gemmantem votum, quod Thetios vnda cruore
Infecta humano conceperat, Odriſiorum
Dedignata iugum, Martemque exoſa prementem.
Tunc Michael reliquas inter pulcherrima Cæli
Mens, oculo animumque ſimul conuertit; & arma
Vt procul aſpexit, conſurgit, & ore minaci
Lumina ter ngit toruus; Dein talia fatur
Quid procul armorum tremula ſub luce reſulget?
Ergo iuuat pacem votis, Mauortia factis
Arma ſequi? Pax ore ſedet, dum ferbuit æſtu
Pectus, & Eumenidum quaſſat Bellona colubros?
Arma procul, Comites, procul hinc, procul arma faceſsant.
Pellite ſanguineas dextras. Vel dira nocendi
Si procul ex animo damnata receſſit Enio,
In commune abeant fędus, mundique beato

Subſcribant voto; & Deus omnia tranquillabit
Chriſtiadis, ſacro domitos poſt Marte maniplos
Lunatæ claſſis, dirisque redempta lupatis
Regna, Palęſtinum poſt actum è ſede Tyrannum.
Quòd ſi mentis adhùc vigeat ſcelerata cupido,
Sanguine inexſtinctam fratrum ciuilibus armis
Exſaturare ſitim, Populis hęc dicite veſtris,
Mox iuga paſſuros Lybies. Eademque ruina
Vna omnes premet, exiguis voluentibus actis
Orbibus aſtrorum. Stat ineluctabile fatum.
Dixit, & inſolito ſplendore ſequacia cunctis
Lumina compreſſit, totuſque repente Senatus
Aligerùm, ſpecieſque abijt nitidiſſima templi.
Sola Palæſtinæ cuſtos ſpecioſa remanſit
Mens, hyperionijs trabeata nitoribus, atque
Tali Ductores claſſis ſermone laceſſit.
Quid pendetis adhùc, animiſque recurſat Erymnis,
Fraterna indigno rimari viſcera ferro?
Exarmate manus, poſitiſque è pectore flammis,
Terrarum placidi iuſto ſubſcribite voto.
Dediſcat Bellona faces, Cereríque miniſtret
Inſtrumenta necis: placiduſque noualia Mauors
Enſe colat, duro manſueſcere doctus aratro.
Ranſtra parent haſtæ: gladij ſinuentur in vſus
Telluris, redeantque nouis cultoribus agri;
Et conſanguineo concordes vtraque nexu
Munera coniunctim ſubeant. Hiſpania Gallis,
Galliaque Hiſpanis: geminique ingentia mundi
Pondera ſupponant humeris: diſcretaque Reges
Fędere coniungant vaſti confinia regni.
Inque vicem Populorum animis concordibus, vnà
Arua Tagi Gallis, Ligeriſque colantur Iberis.
Quòd ſi magnanimæ placeat ſententia menti
Bella ſequi, Martemque iuuet renouare vomentem
Ore faces, miſcentemque agminibus bellorum
Agmina, terrificum latè rabiemque, furoremque,
Exitium, & centum ſpirantia monſtra baratri,
Vnaque pectoribus diſcors dominatur Enio.
Illùc pugnaces dextras, animoſque feroces
Vertite, quò Superi, quò vos reuolubilis ordo

Fato-

Fatorum vocat, & diuinitùs interruptus
Temporis indomitus labor, aſtrorumque rotatus.
Ite; leuis tractus vix æquoris infinitas
Abſtulit è veſtra victrices fronte coronas.
Exiguæ telluris opes Orientis, & Indi
Diuitias tollunt: fæcundaque paſcua gemmis
Paſcua Erithrei tractus: opulentaque mundi
Littora ad occiduum Solem flauentia arenis
Auratis Iaponum, Sinenſiaque arua morantur?
Tenuia prolapſi diſcordia ſemina verbi
Affines Reges, fratreſque furoribus armant
In ciuile nefas? Quò gloria laudis auitæ
Deceſſit, Thraci tam formidata Tyranno?
Siccine decreſcit, regnis creſcentibus, ardor?
Siccine Idumæi cæpere obliuia regni?
Non meminiſtis adhùc quoties LODOVICVS, & ingens
Laus vtriuſq; ſoli CAROLVS; metuendus vterque,
Auguſtuſque ſimul, faſces ſortitus eoſdem,
Conſimili virtute pares, magnuſque SEBASTES
Afrorum fudere acies, vireſque Orientis
Cynthiam adorantes fregere? Patebit Iberis
Africa, multiplici Auſtriacis circumflua cornu.
Regnantemque tuum agnoſcet formoſa LEONEM
ADRIACI REGINA, Paphos: & nobilis auro
Fortunata Rhodos pluuio: quà conditur vndis
Occiduis: ſeu quà rediens conſurgit eois
Sol, tua iura ſalum metuet. Tibi limina mundi
Pandet inacceſſus glaciali frigore tractus
Sarmata: Pannonicas redimes, Germane, ſecures.
Vobis Sequanici regnantia ſydera Cæli
Lilia, Idumææ floreſcunt meſſibus oræ.
Veſtra Damaſcenæ ſuſpirant tempora palmæ.
Te Conſtantina deiecto è ſede Tyranno,
Cernua demiſſo venerabitur ore Canopus
Pontifici ſubiecta tuo: Lunamque bicornem
In Capitolini renouata cacumina cliui
Iam debellatam, cornuque vtrumque rigenti
Aere catenatam duces, ROMANE triumpho.
Imperiumque tibi reddes: macedùmque curules
Submittent latijs Othomannica ſceptra tiaris.

Ite:

Ite : triumphantes redituri è Thrace ſubacto ;
Nam vos fata vocant : Libani vos conſita cedris
Culmina captiui : Nabathæaque regna ſalutant
Preſſa iugo, toties veſtris gauiſa triumphis.
Ite ; Triumphalem chlamidem, ſellamque curulem
Aligeri texunt : certa eſt victoria : Cęlum
Iam pæana canit : iam plauſibus excipit omnis
Turba effuſa virûm . Iam Cælo ingentia ſummi
Admonitus Templi diuinus limina Paſtor
Vaticana ſubit, GHISIO de ſanguine mundi
TERGEMINI RECTOR, vos excepturus ouantes.
Ite : Cadent Aſiæ totius regna ſubactæ
Præmia virtuti. Superûm immortalia faſtis
Factorum monimenta, notis peraranda Tonantis
Stelliferis dextra : ſurgent Capitolia famæ.
Hęc vbi dicta dedit, tenuem euaneſcit in auram;
Cælumque intonuit læuùm ; motoque repente
Annuit aſpectu, cæleſtiaque obtulit arma.
Nec fallunt pia vota fidem ; nam IVLIVS alto
Æneadum MAZZARINVS de ſanguine cretus,
Italiæ ſplendor, Gallorum grande furentum
Lenimentum irarum, Hiſpanorumque viciſſim
Malleus, & propugnator, iam fœdera pacis
Perpetuæ inſtituit, dextraſque in bella furentes
Eloquio potuit reuocare à cædibus : atque
Indomitis animis vtrinque imponere frænos,
Et conſanguineos hymenæis iungere Reges.
Spero equidem (nec me fallent præſagia) cunctos
Europæ populos, coniunctis viribus, vnà
Aduersùs Lybies armabit voce Tyrannum.
Ille HARO ſimiles iuſtæ inſtillabit amores
Vindictæ in Thracem. Præeunte ALOYSIVS illo
Conſilijs, magnum ad ſimiles animabit honores
Numen IBERORVM repetita voce PHILIPPVM.
Illo animos LEOPOLDVS aget furibundus iniquos
In ſua regna olim, à Luna vſurpata bicorni,
Pannonicis, Daciſque ſimul, fortique RAGOZZO
Auxiliatrices renouata ad prælia turmas
Sedulus imperijs acuet. Non arma Britannus,
Seu Batauus, Suecus, Danus, ſeu Sarmata, Moſchus,

Vel

Vel Scytha, Perſarum ſeu Rex ditiſſimus, illo
Arma negata volent adigente, ad fœdera Turcis
Exitioſa. Dabunt VENETO promiſſa LEONI
Auxilia, & MAZZARINO cadet impia ſedes
Bizanti authore, & mergetur ſanguine Luna
Threijcia. Vt hinc hæreſeos furialis Erimnis:
Inde infenſa Deo impietas, ſibi debita regna
Cæca petant; totaque Europa tuta quieſcat
Pax, amicis procul expulſa diſcordibus ira.
Interea MAVROCENOS non vltimus inter
HEROAS, Turcis tam formidatus, & vndis,
Hic erit & belli fulmen, fecialis, & auctor
Pacis, & Adriacum ſuſtollet ad aſtra Leonem
Robore, fulmineaque manu, qua Turcica telis
Magnanimo exagitata premet vexilla furore.
Macte animis generoſe Heros; nam Tibridis almus
Regnator, tibi Cælicolas conatur amicos
Cogere in auxilium. Pugna, dum SEPTIMVS VRBE
Quo ſemper vincas, referaſque ex Hoſte triumphos,
MAGNVS ALEXANDER ſacrum tibi porrigit enſem.
Sic Conſtantino tribuit Sylueſter eunti
Ad bellum contrà Imperij, fideique Rebelles.



Ad

Digitized by Google

Ad Eminentiſsimum, & Reuerendiſsimum D.

IVLIVM MAZZARINVM
S.R.E. CARDINALEM.

Elegum nuncupatorium.

MAZZARINE, Tibi quæ vena poetica panxit
Carmina, Apollineis vix adhibenda choris.
Hoc vnum præſtare queunt, informia quamuis,
Quòd tibi ſignificant pectoris obſequium.
Cætera nè quæras; nam Muſa coercita loris
Peripati, & curæ pondere preſſa gemit.
Non calet ingenium fortunæ ex ore ſecundæ,
Ore nimis miſeros exagitante viros.
Hinc premit inuidiæ dens implacabilis; inde
Sollicitant animos turba maligna dolis.
Nunc impoſturis Cenſoris ad atria ducunt,
Exploratorum ſemper amica notis.
Nunc Vatem vt Baccho plenum per compita ludunt;
Carmina nunc lacerant mille petita probris.
Viuere digna diù damnare volumina flammis,
Authoreſque parant impoſuiſſe rogis.
Vtque Iudæ ſimiles ad robora terna Poetas
Raptant, vt laqueo pendula colla ſecent.
Tu potes exanimem reuocare ad munera vitæ;
Tuque potes pretium reddere carminibus.
Si tu vocali non dedigneris honore
Excipi ab Auſonijs Vatibus in Latio.
Proh quot Pegaſei conſurgent vndique cætus!
Quotque dabit plauſus laurus adulta Tibi!
Te Mæcenatem celebrabunt culmina Pindi;
Immò & Apollinei Numinis inſtar eris.
Hos igitur verſus, Princeps, læto excipe vultu:
Excipe quæ Vates parua tributa refert.
Quòd ſi non potuit celebres agitare choreas
Muſa, nec Aonidum ſollicitare modos.
Nè mirere; tuo contemplabantur ab ore
Lumina diuinum, corde ſtupente, iubar.

Maieſtas

Maieſtas vultus: regalis gratia frontis:
Mixtuſque inſolita cum grauitate lepos.
Attonitam Muſæ rapiunt miracula mentem;
Senſim, oculo ſenſus ſuſpiciente, cadunt.
Qualiter immiſſa radiorum cuſpide Phœbus,
Luminibus multo bella nitore mouet.
Pupula terrificis perſtringitur icta fauillis;
Et minùs alta videt, quæ patuere magis.
Sic mea diuini perſtricta eſt lumine vultus
Muſa tui, & viſu preſſa timore caret.
Eſt igitur tua laus, quòd humi mea carmina ſerpant,
Quodque lyra Muſæ non meliore canant.
Scilicet aſcendis ſublimiùs aſtra, canentes
Quò magè deſcendunt inferiore loco.
Nam MAZZARINO locupletia nomine, IVLI,
Carmina, vel plauſus ex Acheronte dabunt.
Haud etenim poterunt celebrantes nomen IVLI
Muſæ Acherontæas mæſtæ abijſſe plagas.
Quòd ſi tartarei penetrarint limina tecti,
Dulces læthæas experientur aquas.
Surgere nec poterunt obliuia fluctibus illis,
Dùm tua Apollineo fama nitore beat.
Illius aſpectu teterrima monſtra fugantur.
Te preſente, Orcus regia Solis erit.
Numquàm igitur ſacri Muſis de culmine Pindi
Fas erit, inuito Te reuocare gradum.
Faucibus aſſiduis reſonabit IVLIVS illis;
Et MAZZARINVM carmina cuncta canent.

AD LODOVICVM XIV.

Galliarum Regem trudiculario olim ludentem Vincennæ.

EPIGRAMMA.

DExtera docta diù ſceptrum tractare Pipini,
Subdita quo Populis iura verenda daret.
Regia commutat vertente negotia ludo,
Et poſito ſceptro, lignea pila ciet.
Seque reuoluentem in ſeſe dùm forcipe quercum
Pellit ad obiectam dextra magiſtra notam
Illa volat, celeriſque ſimul dùm verſat in orbem
Seſe, aliam trudit, truditur, inſtat, abit.
Ferreus in media iacet annulus area, & illum
Aſſiduò quatiunt ligna rotunda procul.
Scilicet ingreſſum quiſquis prior occupat, ille
Poſt ternum tandem præmia conſequitur.
Numquam conatu teretes iaculatur inani
Ad ferrum Luſor regius arte pilas.
Iuppiter intereà cæleſtes deſùper orbes
Voluit, vt ad ludum prouocet inde nouum.
Tandem ſe victum, victori hæc omina dicit,
Creſce Puer; totus nam pila Mundus erit.

Mortis triumphus, Dum è viuis excederet

MICHAEL CARDINALIS MAZZARINVS IVLII FRATER.

EPIGRAMMA.

LVrida quæ latè horreſcunt monumenta doloris,
Quæque oculo incutiunt triſtia ſigna metum.
Vtitur his victrix Lybithina ſuperba, paratque
Inde triumphales ambitioſa vias.
Suntque triumphali tumulus Capitolia pompæ,
Funereuſque rogus ſella curulis erit.
Illa catenatos Proceres, Regeſque, Duceſque
Poſt ſua captiuos eſseda ſæua trahit,
Regius hanc ſequitur MICHAEL, cui vita ſuperſtes
Famæ immortalis triſte cadauer agit,
Hunc MAZZARINO Triquetro de ſanguine, Mundò
Roma dedit, Gallus murici, Iberque Deo.

IN DISCORDIAM.

ELEGAE DIRAE.

ITE procul peſtes erebi, fæcunda malorum
Ilias, è mundi limine abite procul.
Tu Genitrix Bellona odij, tu ſanguinis author
Mauors, Auſonij linquite regna ſoli.
I perite, illa Meduſæis ſerpentibus acta,
Hic proprio merſus ſanguine, regna ſtygis.
Aurea ſæcla iterùm redeant, truculentaque Iani
Preſſa ſuperpoſito limina monte gemant.
Clauſaque ferratis Diſcordia poſtibus, intùs
Vellat vipereas irrequieta comas.
Mox digitis laniata genas, diſcerptaque pectus,
Egerat hùc illùc in ſua damna minas.
Immò reluctantem cum ſanguine ſpiritum, ab imo
Arietet, euulſo gutture, corde dolor,
Eiectuſque nigras abeat tenebroſus in auras,
Sulphureaſque petat percitus igne plagas.
Sacraque flammiuoma diſcerpta in fruſta bipenne
Membra, acherontæis ſint alimenta rogis.
Inde vmbræ attollant cineſacta cadauera, & auris
Diſpergant, ſæuis ſollicitanda notis.
Forſitan immiti ventorum turbine tractus
Eripiet ſecum bella cruenta cinis;
Vltimaque inuiſet mundi confinia Mauors;
Et Populi diſcent bella mouere Stygi.
Moxque recollecti cineres, diſperſaque membra
Læthæis tandem contumulentur aquis.
Cineribuſque ſuis celſi fundamina templi
Pacis, Romulidum ſacra Columba locet.
Quæ ſuper aſſurgens moles operoſa trophæis
De Marte edomito pandat ad aſtra caput.
Atque hæc ſublimi relegantur carmina buſto,
Aere adamantæis ſat perarata notis.
Hoc iacet in paruo Diſcordia merſa ſepulcro;
Ite procul, rixæ, bella, odia, arma, furor.

AD REMPVBLICAM VENETAM

Gallorum auxilium recipientem in Turcas.

EPIGRAMMA.

ODriſiæ claſſes, vexilla minantia Lunis
 Veſtra per Ionium Nerea regna petunt.
Vndiq; Threijcio completur milite Pontus;
 Tormentis circùm littora rauca ſonant.
Gnoſſia barbarieis tellus gemit icta ſagittis,
 Et pauet Auſonium fulmina dira ſolum.
Nè tamen Odriſium timeas, REGINA, minantem
 Claſſibus Adriaci tollere iura maris.
Victrices aderunt tutantes æquora puppes;
 Et coniurati terra, Poluſque ruent.
En tibi Gallorum victricia Lilia ſurgunt,
 Lilia Idumæis tàm metuenda plagis.
His interpoſitis, Othomannica Luna pauore
 Preſsa, coloratis cornibus ora teget.
Lunaque æternos tandèm patiente labores,
 Aſſurget VENETIS clarior inde dies

VT CITIVS S. RAIMVNDVS

Aulam fugiat, dùm nauis non ſuppeteret, pallio traijcit mare.

EPIGRAMMA.

VT fugias aulæ Raimunde pericla, quietem
 In medio credis nunc reperire mari?
Quam ſtabilem dabit inſtabilis tibi fluctibus vnda
 Diuę fidem? Neſcit pontus habere fidem.
Crede mihi; meliùs noſtra obſequioſa tuorum
 Votorum tellus meta perennis erit.
Ille tamen cæptum peragit ſuper æquore callem.
 Dumque mouet, ſacros ſuſtinet vnda pedes.
Vndarum obſequio lambunt veſtigia fluctus;
 Siccaque per medias ſemita floret aquas.

Expli-

Explicat ille auris baculo ſuſpenſa triumpho
  Veſtimenta, Deo nempe regente viam.
E debellatis aula, pompiſque triumphum,
  In fluctu pompa nobiliore refert.
Nempe triumphanti præſtat Capitolia Pontus;
  Pallia cum baculo ſella curulis erant.

SANCTVS ALEXIVS domi peregrinus.

EPIGRAMMA.

EVgerat è patrijs generoſus Alexius oris,
  Vt propiùs ſummi ſcanderet aſtra Poli.
Diuitias linquit, ſpernitque in honore parentem,
  Atque maritalem cum genitrice torum.
Arte tamen mira, voluit fugiſſe videri
  Dum remanet, cunctis abditus illuuie.
Pauperis inſtar, amat ſordes, ſtabulique receſſus;
  Inque pauimento poſteriore cubat.
Quæritur, & renuit reperirier; atque repertus
  Corpore, magnanimo corde abijſſe poteſt.
Contemnit lachrymas Genitricis, & oſcula Sponſæ;
  Nil curat patriæ commoda tanta domus.
Spernitur vt præſens; cumulatur honoribus abſens;
  Inque ſinu matris filius exul abeſt.
Scilicet ætherei ſunt hæc miracula Amoris;
  Vt poſſis præſens vincere, & eſſe procul.

ME-

MELITHONIS MARTYRIS
Inuicta Genitrix.

Fuit vnus ex 40. quorum meminit Eccleſ. 10. *Martij.*

ELEGIA.

QVid celebratis adhùc Spartana volumina matrum
Agmina, fæmineis haud numeranda choris?
Cedite Spartanæ matres, generoſaque ferro
Obdurata diù pectora Amazonidum.
Vos vocat Armeniæ ſedes auguſta Sebaſtes;
Ite, triumphales concelebrate dies.
Armatas ferro, ſæuiſque rigoribus anni
Dextras, inuicto prouocat ore Puer.
Crura labant, rupto geminatis ictibus oſse;
Haud tamen è medio pectore vita fugit.
Viuit adhùc, palmam vt geminet, geminumque triumphum
Intrepida referat cum Genitrice Puer.
Viuit adhùc; neque enim poterant primo impete vitæ
Stamina reſcindi tàm pretioſa colo.
Semianimem vt vidit natum generoſa virago,
Macte animis, fili, gloria matris ait.
Nunc te complexu dignabitur alma Tonantis
Mater, diuina digne parente Puer.
Perge; animoque parem, genitrice iubente, triumphum
Concipe; nam pænis meta triumphus erit.
Perge, triumphabis. Quid enim niſi palma ſuperſtes
Vitæ eſt relliquijs, nate beate, tuis?
Non vacat ad vanos vitæ fugientis amores
Cor reuocare. Dies concipe perpetuos.
Sic ait; intereà lacerata cadauera plauſtris
Carnifices vectant conijcienda rogis.
Illa dolet; natique olim ſibi dulcia vitæ
Munera faſtidit. Funera ſola placent.
Natique imponi properat ſacra membra feretro;
Namque breui feretrum ſella curulis erit.
Impoſitoque humeris nato, feſtinat ouantes
Inſequi, & audaci ſiſtere plauſtra ſono.

Quò

Quò ſæui properatis, ait, Melithone relicto?
Siccine prò nato diſplicuere moræ?
Parcite; nam puero puerilis greſsus, & artus;
Innocuamque trahunt membra tenella moram.
Exiguas olli præbent corpuſcula vires;
Corda giganteo pectore digna gerit.
Curret in occurſum, ſi viderit ille lacertos;
Porrige conanti turba inimica manum.
Non fugit ille necem; veſtros non deuiat ictus;
Immò auet ardentes corde inhiante rogos.
Parua rigeſcenti fregiſtis crura bacillis;
Illius exiguæ diſplicuere moræ?
Ipſa vices pueri ſubeo, dumque ille laborat
Cruribus, ecce parens irrequieta volat.
Vix ea: cum ſubito Genitrix Melithona feretris
Inſerit, atque humeris tollit ad aſtra rogos.
Geſtit in amplexu morientem cernere vultum,
Clauditque extincto lumina cara manu.
Quæ maiora putas miracula? Porrigit enſi
Colla Puer; Puerum porrigit enſe Parens?

IN FVNERE SERENISSIMI

CAROLI CONTARENI

Venetiarum Ducis, poſt annum imperij.

EPIGRAMMA.

CAROLVS Adriaci decus immortale Senatus
Occidit; & Cæli Sol nouus ora ſubit.
Anno abſoluto, Phæbeæ lampadis inſtar,
Vnde abijt, demùm ad ſydera regreditur.
Nempe incorruptum virtutum abſoluerat orbem;
Nullaque reſtabant ſigna terenda pede.

AD

AD IOANNEM CASIMIRVM

Nunc Poloniæ Regem inter ſacros Purpuratos olim adſcriptum.

EPIGRAMMA.

DVM tua regalis maieſtas ambiat ora,
Et micet auguſto ſplendida honore manus;
Fruſtrà pannoſa contectus membra lacerna
Diſſimulas Regem, ſceptraque auita tegis.
Non bene ſtultiloqui ficta ſub imagine texit
Regales animi Penelopæus opes.
Nec tua Pamphilio ſtirps auguſtiſſima Regi
Apparet ficta ſimplicitate minor.
Te vocat ad ſacro ſatiatas murice veſtes,
Et patria exoptat reddere ſceptra manu.
I felix quà bruma riget tumulata tenebris;
Nam quantum hoc ſacro murice Solis habes?
Pergama Palladio ſublato euertit Vliſses;
Tu pulſa reddes impietate, diem.

VNDATIO TYBERIS PER VRBEM ROMAM.

EPIGRAMMA.

VIdimus vndantem Tyberina per oſtia Pontum,
Et totum Tybri ferre tributa mare.
Certatim ſubiere pates, ſpirantibus auſtris,
Montibus è ſummis mænia ad alta niues.
Egreditur tumidus ſuperato ex aggere Tybris,
Et Capitolinum tentat adire iugum.
Scilicet, & fluuios tangit pretioſa triumphi
(Tantus amor laudis) gloria Romulidum?
I, pete barbaricas per inhoſpita littora claſſes,
Atque tua Odryſias ſorbeat vnda rates.
Tunc meritò tibi Roma dabit, Tyberine, triumphum;
Et ſuperis iungi fluctibus aſtra dabunt.

IN

IN ZEVCVM
Iactantem antiquitatem ſuæ nobilitatis.

EPIGRAMMA.

ANTE cahos, Phæbique iubar, Phæbeſque labores
  Deducis longo ſtemmate Zeucus Auos.
Non dum mundus erat, tuaque ipſo antiquior æuo
  Gens erat, & vacuo regia iura dabat.
Æternùm proauos, abauos, atauoſque recenſes,
  Inque recenſendo tempora deficiunt.
Vel te igitur conſanguineum deduco Tonantis;
  Vel vacuo, vnde oreris, mens agitata ſonat.

Aliud in idem argumentum.

Oſtentas monimenta domus, faſceſque, triumphoſque;
  Et veterum iactas nomina clara Ducum.
Ornamenta domus, eſto, clariſſima ſunto.
  Quid Tibi, quem virtus denegat eſſe ſuum?

N.N. DVM PERVSIAM REDIT
per inſidias interficitur.

Siſte pedem: fuge. Quò properas moriture? Penates
  Haud tibi erunt portus, Scylla, carybdis erunt.
Heu circumſiſtunt gladijs nil tale merentem
  Perſonata genas perfida turba virûm.
Exploduntque globos furtiuæ ſemina mortis,
  Semina ſulphureo dira animata rogo.
Scilicèt æternam patriam dedit omnibus vnam
  Numen. Abes? Timeas, ſis vbicunque velis.

In maledicum Vatem.

CONSVE peſtiferæ diſſuta repagula linguæ,
Clauſaque viperei gutturis antra gemant.
Quòd ſi carminibus tua Muſa licentiùs erret
Poſthàc, nec fundas ſanctiùs ore ſonos.
Grandiùs inflata modulabor arundine carmen,
Plectroque iratus te grauiore premam.

AD N.N. DE MARI
dictum per iocum de amphitrite.

EPIGRAMMA.

O DE AMPHITRITE ſtirps illuſtriſſima Gentis
Fluctiſonæ, natus de genitore mari.
Gaudeo, conuerſo te dicier ordine pontum,
Sirius accenſas dum vomit ore faces.
Ampliùs haud timeas reſponſa dediſſe roganti.
Reſponſo haud belluam, te facis indigetem.

ALBERTVS CIVRANVS
Authoris auditor, iuuenis fato cedit.

OCCIDIS Alberti, dum prima crepuſcula vitæ
Luſtras. I: citiùs Sol otiere Polo.

AVGVSTINVS DE COMITIBVS

Authoris frater ingentis expectationis adoleſcens, in ipſo ætatis vere occidit.

DVM tibi tot puero factis numeranda ſuperſunt
Luſtra, ſeneſcentis moribus inſtar obis.
Nàm cuicunque fuit virtus matura triumpho,
Non tyro, ſed miles iam veteranus erat.

AD EVNDEM MÆRENTEM,

ob ereptam ſibi grandia gerendi opportunitatem.

MÆRES, cum tacitam truncata ad tempora mentem
Figis, virtutum nobilitanda choris.
At lætare. Diù vixit qui multa peregit.
Si bene: vixiſti ſæcula Neſtorea.

AD EVNDEM,

Quamuìs acutiſsimo capitis dolore vexatum, in ipſo moriendi actu ridentem.

AVguſtine quid hoc? Rides, dùm cruda ſecurem
Admouet ad vitæ ſtamina Parca tuæ?
I, fęlix quò fata vocant meliora; timorem
Excute: non temerè labra cachinnus habet.
Te vocat ad ſuperi tractus viridaria Numen;
Æterno incipiunt nunc labra vere frui.

VILLA TYBVRTINA

ADRIANI IMPERATORIS.

EPIGRAMMA.

HÆC, quæ terrarum complectitur Area ſummam,
Ingentique iacet ſemiſepulta ſolo:
Totius ſpeciem imperioſa cadaueris Orbis
Spirat adhùc, tantis maxima ruderibus.
Scilicèt hæc olim triplicis compendia Mundi
Vna ſuo potuit claudere Villa ſinu.
Piſcinæ Pontum: ſtellantia clauſtra ſuperbæ
Æquarunt moles: vaſta theatra ſolum.
Temporis haud cecidit ſemeſa à dente voraci,
Nec ſola lapſa eſt diruta Barbarie.
Illius in cædem iurata elementa laborant,
Terra viris, Cęlum fulmine, Pontus aquis.
Vnà etenim triplicem clauſit quæ viſcere Mundum,
Vna non potuit Villa perire manu.

IN ALEXANDRVM PHÆRÆVM

Sicarium præmittentem, vel cum vxorem adiret.

EPIGRAMMA.

QVID Phæræe times? Genialia limina coniux
Dum petis, armatus barbarus enſe præit?
Formidas ſocij fidiſſima Numina lecti,
Thebeſque inſanus Coniugis inſidias?
Pone ſatellitium, metuendaque tela; fidelis
Agminis inſtar erit verus amor Populi.
Inter Lictores, inuiſus (crede) peribis;
Dilectus, nullo milite tutus eris.

IN PVERVM PERMVLTAS Vrbes, inſcio patre, vagantem tempore belli.

EPIGRAMMA.

CVM boat armorum ſtrepitu, bellique tumultu,
Et gemit Auſonium, Marte premente ſolum:
Tu Puer audaci perluſtras omnia greſſu,
Impauidaque ſubis fronte in vtrumque mare.
Nunc properas quà celſa iugo Vetulonia ſurgit,
Nunc qua Neptunus reſpicit altus aquas.
Per medias acies, per tela inimica, per ignes,
Perque recuſantis iuſſa Parentis abis.
Solus, inermis, adhùc teneros tremebundus ob annos,
Quæ facis, horreret ſuetus in ære ſenex.
Miraris cur tanta Puer tentauerit? Olli
Pondera nulla grauant interiora caput.

QVINTIVS IVVENIS DENTIS Fractione ex apoſtemate læthali conualeſcit.

EPIGRAMMA.

PARCE precor, Lybithina; rotas cur impia ferrum?
Excidat irata falx inimica manu.
Quam cernis mentem florere ſenilibus annis,
Vix Parcæ abſoluit ſtamina prima colo.
At perge, & falcem, telumque volatile torque;
Vna eademque manus vulnus, opemque feret.
Cor petit; impingit fatalis labra ſagitta,
Excuſſoque leui cuſpide dente cadit.
Vulneris affecta gengiua ſanguis hyatu
Putridus exiliens, traxit ab ore luem.
Viciſti. Cane magnificum Lybithina triumphum.
Fregiſti dentis marcida fila putris.

DO-

DOMVS INGENS VENTORVM

Turbine Romæ labitur.

EPIGRAMMA.

HI'C vbi diſperſos cineres, diſiectaque ſaxa
Aſpicis, & vaſtæ rudera tanta domus.
Sublimi nupèr certabant vertice Olympo,
Romamque implebant tecta opulenta ſinu.
Concuſsa hæc valido ventorum turbine moles
Corruit heſterna pulueruIenta die.
Lapſuque indignos Dominos tumulauit; vt illis
Vna eademque domus funus, & vrna foret.

Aliud in idem argumentum.

ASpice quàm tenui voluantur turbine fata!
Hìc vbi prata vides nunc, domus ampla fuit.
I, nunc magnificas attolle ad ſydera moles,
Cæloque aſſurgens æde minetur apex.
In te conſurgent exciti ad prælia venti,
Armatique omnes in tua damna ruent.
Scilicèt armantur ſublimibus ædibus auſtri;
Vitaque vel ſtultis fit reſecanda notis.
Sexcentos annos, repetitaque ſæcula Priſci
Vixerunt. Mirum nil: caruere domo.

IN VATEM OBSCVRISSIMVM

Nomine Ancum Paluſinum.

EPIGRAMMA.

QVID memorat celebris veneranda Oracula Delphi?
Quid Vatum iactat carmina priſca fides?
Priſca fides taceat: ſileant Oracula Delphi.
Vna PALVSINI carmina fama canat.
Si reſponſa dabant Oracula frondibus, ANCE
Sunt tua Dædaleis verba referta dolis.

AD PRINCIPEM TVNETIS Dùm Romæ Authoris inuiſeret Academiam.

EPIGRAMMA.

MARMARICAS inter Lybies ſitientis arenas
Salue ò diuina floſcule culte manu.
Cernis vt effuſa in plauſus Romana iuuentus
Geſtit in occurſus obſequioſa tuos?
Et quæ nigranti mærebat ſyrmate Pallas,
Induit albentem, te veniente diem?
Nempe coronata è Patris impietate triumphas,
Sacraque emergis Numinis inſtar aqua.

Eiuſdem luſtrale lauacrum.

EPIGRAMMA.

DVM ſacro Lybies luſtrandum fonte Tyrannum
It rumor, properant flumina ad officium.
Feſtinat Nilus ſeptemplicis oris hyatu;
Feſtinant Tyberis, Rhenus, Iberus, Arar.
India ſollicitat tumefacta fluenta metallis:
Congeſtaſque Erythre gemmea mittit opes.
At fruſtrà vndarum certat genus omne. Tyrannum
Eſſet mortali ſpargere fonte nefas.
Sydera certatim officij ambitioſa liqueſcant.
Hoc dignum eſt tantum mergier amne caput.

EX VITVLA PVERORVM luſu vaticinatio.

EPIGRAMMA.

HÆ quas in tenera, imbellique rigeſcere palmæ
Aſpicitis vitula, fulmina Martis erunt.
Diſcerpent ſæuos armatos vngue leones,
Hoſtileſque acies ſternere luſus erit.
Niſibus aſſueſcunt teneris proſtrare iuuencos,
Horrida queis olim monſtra iuuencus erunt.

Chri-

CALLIOPE
SACRA, ET PROPHANA

Immortali gloriæ

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

IVLII SACCHETTI

A

DISCORDANTIVM APOLLINE

Omnigena metrorum copia

conſecrata.

Digitized by Google

CARMINVM ELENCHVS

Quæ in obſequium IVLII CARDINALIS SACCHETTI
Romana panxit Calliope.

Doctoris Petri de Comitibus.

CRucis Pompa, Poema.
In Turcam diræ, Carmen Epicum.
Ad Iulium Cardinalem Sacchettum, Elegia.
In funere Clariſsimi Falconerij, Epigramma.
Aliud in idem argumentum.
In Inuidiam, Epigramma.
Pia temeritas, Epigramma.
In lucem viſam nocte natali Chriſti Domini, Epigr.
Ad Ioannem Caſimirum Poloniæ Regem, Elegia.
Benefica Mors, Epigramma.
Ad menſem Martium vt hyemem pellat, Epigram.
In Paulinum, cui nullum ſtudium placet, Epigram.
In Vigilantium academicum frigidum, Epigramma.
Romæ laudes, Ode.
Linearum miracula maxima, quia minima, Elegia.
In Vetulam, quæ ſecari dicitur poſt dimidium Quadrageſimæ, Epigramma.
Romæ Tumulus.
In Romanum Titi amphitheatrum ruinis obrutum, Epigramma.
De Cunis Chriſti Domini Romæ ſeruatis, Epigramma.
Deſcriptio Inferorum, Epigramma.
Vidua occiſorem ſui filij vnici à morte liberat, Elegia.
Ad Carolum Contarenum academicum furibundum, Epigramma.
Ad Dominicum Contarenum Venetiarum Principem, Epigramma.
In Popellum caſtaneis, & pane veſcentem, Epigramma.
Senenſis magnificentia in aſſumptæ Virginis feſto, Epigramma.
S. Io. Baptiſta Virginis aduentu ſalit in vtero matris, Epigramma.
In Herodiadem caput Præcurſoris petentem, Epigramma.
Horatij tumulus.
S. Ambroſij labris fauus diſtillans, Epigramma. Aliud. Aliud. Aliud.
Puer Ieſus in Patris officina Cruces fabricat, Epigramma.
Tumulus Darij Perſarum Regis.
Adami, & Euæ tumulus.
In obitum Petri Roncalli, Epigramma.
In Herodem Puerum Ieſum morti deſtinantem, Iambicum.

Digitized by Google

Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Principi

IVLIO SACHETTO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

D. Petrus de Comitibus Romanus fauſtitatem.

NVSQVAM de alio veriùs, quàm de Te, PRINCEPS EMINENTISSIME, dictum audiui, coniunctam ſimul ſublimis maieſtatis amplitudinem, cum eximiæ amplitudine humanitatis. Illam communem habes cum Purpuratis Patribus, quorum frequentia Romanum Cęlum, tamquàm ſyderibus illuſtratur; hanc verò Heroum teſſeram, peculiari titulo, vt Tuam Tibi ab incunabulis vindicaſti. Habent in illa quid venerentur Priuati; habent in hac quid Reges admirentur. Illam vt meritorum præmium, ab VRBANO VIII. Pontifice ſapientiſſimo; hanc à Numinis amore Tibi beneuolentiſſimi, vt munus è Cælo Suis deriuans accepiſti. Ex illa conie-

ctare

ctare licuit, quàm fueris dignus, qui à ſumma Dei in terris Vicaria Poteſtate diligereris; Et ex hac quàm Tibi ſit procliuis ipſa Diuinitas, cuius beneuolentiam, vel ante ortum, futuris regiarum virtutum facinoribus prouocaueras. Excipis ex illa obſequentium ſtudia terreſtrium Populorum; Et hac vſq; adeò erigeris ſuprà conditionem humanam, vt feſtiuis Cęlituum plauſibus, tamquàm Cælituum aliquis excipiaris. Nè mireris igitur, ſi mea Muſa, & TIBI, vt Purpurato, cum Terrigenis vocalia rependit obſequia; & veluti Humanitatis Numini, victimam TIBI conſecrat ſuos partus. Excipe illos, vt humaniſsimum decet, benigna fronte; nec dedignetur Purpurata Maieſtas Tua, præeuntibus Muſis, vel ipſum admittere ad oſculum ſacri muricis obſequentiſſimum Vatem. Vale.

CAR-

Digitized by Google

CRVCIS POMPA

AB HERACLIO ROMANORVM CÆSARE

Hieroſolymis excitata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

CARMEN EPICVM.

PROLVSIO.

Debellato iam totiès Coſdroa Perſarum Rege, cùm Heraclius ſanctiſſimam Crucem recuperaſſet, eam Hieroſolymitanæ Vrbi reſtituendam decernens, ad ſolemnem ſupplicationem ſplendidiſsimè faciendam vniuerſum exercitum, totiuſque Vrbis Populum inuitauit. Ecce autem dum Princeps oſtro, auroque ſuperbus Crucem manibus geſtat, ter occulta vi, ad prima Vrbis limina, retrò impellitur. Liceat hìc ergo obijcis cauſas poeticè diuinare. Quibus tandem detectis, Cæſar Zaccariæ Antiſtitis monitu, procul abiectis purpura, & diademate, cilicio indutus, nudis pedibus, Crucem humeris defert; nulloque obiçe, Vrbem ingreditur.

ERGO etiam Cælum pullato ſyrmate noctis
Grande Tonantis opus funeſtat? Honore triumphi
Quadrifidi Heraclium geſtantem pondera ligni
Orbat, & obſcuris damnarunt aſtra tenebris?
Eia age fulminea qui concutis æthera flamma,
DIVINVM VERBVM, proles æqueua Parenti,
Ludibrijs dediſce caput ſuccumbere; technas
Diſijce tartareas; diuinos indue mores.
Indue naturam Patris, qui fluctibus Orbem
Merſit, & immiſſis ſceleratas ignibus Vrbes
(Vltio diuina) in cineres, auraſque reſoluit.
Obſtanteſque tuis vlciſcere honoribus; Orcus
Nè Tibi ſe iactet tentaſſe impunè quod optat.
Tolle triumphanti congeſta repagula portæ
Vrbis Ieſſeæ, quæ coniurata Baratri

Agmina ſollicitant ſæua ad certamina; pompam
Chriſte triumphalem nè dedignere paratam
In Crucis excipere obſequium : cape debita tandem
    Præmia virtutis, fuſique cruoris honores.
At fallor; pereat quicunque à lege recedit,
Quam ſemel in terris conſcripſit ſanguine IESVS.
Crux ſine honore Deum morientem excæpit in vlnis,
Et ſine honore Crucem excipiat quicunque Tonantis
Vnigenam cupit obſequijs imitarier altis.
Crux tibi ſit Mundus; tibi ſis Crucifixus, Amorque
Te vice carnificis cruciet. Sic pompa cruoris
Neſcia, purpureos Chriſti inflammabit amores.
Ergo nouos dum canto Crucis ſine honore triumphos,
Tu qui diuino decoraſti dedecus oſtro,
Et pretium abſque auro feciſti, da mihi ligni
Facta renarranti, ingenium, mentemque capacem
    Prodigijs miris, facileſque ad carmina Muſas.
Victor ab Auroræ Populis HERACLIVS, inſtar
Ingentis gazæ, contempto Perſidis auro,
Signa ſalutaris ligni, quæ Coſdroa quondàm
Abſtulerat, fouiſſe ſinu, tergoque recepta
Impoſuiſse ſuo gaudet, patrioque reponi
Ornatu meliore loco meditatur, auitos
Inter honoratos titulos, monumentaque Regum.
Talia dùm ſecum conſtanti pectore verſat,
Ecce triumphalis turbatur imagine pompæ
Anxia mens, hæſitque diù ſuſpenſa triumpho.
    Hinc pietas, hinc tangit honos, hinc laudis auitæ
Magnanimum extimulant animum monimenta Suorum;
Atque triumphorum vrget gloria CONSTANTINI.
Nunc Erithres meditatur opes, & quidquid eoo
Littore Bactra vehunt, peregrinaque munera Gangis,
Aurea texta Phrygum, Tyrioque operoſa labore
Vellera, barbarico trabeata holoſerica luxu,
Cuncta triumphalis ceſsura in gaudia pompæ.
Nunc ſacra auguſtum ſtimulante cupidine pectus,
Conſilio meliore, animos ad facta Tonantis
Voluit Ieſsæo mortali ſanguine creti.
Pompaque ſordeſcit, congeſtum diſplicet aurum,
Aſperiora probat. Placuere nouiſſima magni

Pauperis

Pauperis Antoni gratiſſima facta Tonanti.
Aſt regale decus, maieſtatiſque verendum
Nomen obeſt; neque enim Æneadum putat eſse decorum
Principi, vt abiecto pauper ſordeſcat amictu.
Dùm vario Princeps curarum fluctuat æſtu,
Anxiaque ancipiti verſante cupidine corda,
Exciti gemuere ingens, motoque tumultu,
Claſſica ſæua canunt, totoque Acheronte maniplos
Tartarei cogunt Proceres, cunctaſque Phalanges
Extimulant bello, nigraſque vlulatibus Vmbras.
Nec mora; præcipites currunt ad iuſsa nocentes
Manes, inque vicem ſeſe ad certamina flammant.
Hic Odij renouat morſus; ille efferus Iræ
Exacuit dentes; pigram hic rubigine linguam
Vellicat Inuidiæ; ille audax Mendacia fictis
Vultibus abſcondit; Rixarum hic virus inumbrat
Tegmine Honoris; & ille ſupercilium inflat inani
Folle ſuperbifici Faſtus; hic forcipe adunca
Mordet Auaritiem, vt læthali excita veterno
Induat algentes crines. Incendia miſcent
Fęda Cupidinibus, Veneri qui pocula ſuccis
Verſicoloratis implent; hic fraudibus inſtat,
Vt ſua peſtiferis texant medicamina; & ille
Præparat irritamenta Gulæ; cunctique laborant,
Vt ſceleri ſocios faciant, fraudeſque, doloſque, &
Mille nocendi artes verſant, totumque Baratri
Exardet bello vulgus, ſtygiuſque Senatus.
Eſt locus vmbrarum in medio, quem denſa vorago
Alligat, & putri præcingit lurida fluctu.
Illùc non penetrat lampas Phæbēia, nigra
Sed tenebricoſis torpent ſqualloribus antra.
Infernæ hùc veniunt turmæ, coguntque Senatum.
Hùc Sterepon, Melicoth, Reſtron, Sterpillus, & Eruez,
Aſtarot, & Columerontos, Toſconque, Brionſque
Conueniunt, properatque altis de montibus ore
Hirſuto, bifidaque Coſiſmon barba, & Aueruex,
Sexcentique alij exercentes carnificinam
Damnatarum animarum, ignisque, Orciq; Tyranni.
Lucifer in medio, ſublimi è ſede, tribunal
Explicat horrendum, dicitque trementia iura.

Circumquàque apparent nigra ſedilia, longo
Ordine diſpoſita, horrorem incutientia latè.
Conſedere omnes; tunc Lucifer ore rubenti
Indignabundus, ſolio ſic orſus ab alto:
Tartarei Proceres, ſiquis vos laudis Auerni
Tangit honos, ſi Cocyti ſeruare vetuſta
Iura manent animi, taciti ſermonibus aures
Dirigite, atque meis faciles incumbite dictis.
Coſdroa Perſarum Rex inuictiſſimus, armis
Noſtris qui toties bellauit, & impia Chriſti
Ligna triſulca manu Solimæa ex Vrbe reuulſit:
Coſdroa noſter amicus, qui inuiolata tot annos
Fędera nobiſcum ſeruauerat, Heraclij
Principis Æneadum ter profligatus, & alto
Turbatus ſolio furijs legionibus actis;
Ter cecidit, ter terga dedit, ter cęde ſuorum
(Horreſco referens) ſtimulatus barbara Romæ
Iuſſa tulit, victuſque inimici imbuta cruore
Ligna Crucifixi, Romanis cedere templis
Debuit, vt noſtro purgaret ſanguine noxam.
Iamque vaporatis incenſis thuribus aris,
Cæca ſuperſtito deuicto inſultat Auerno.
Ah pereat quicunque Crucem ſuſtollit Ieſu.
Ite, moraſque infinitas ſubnectite votis
Cæſaris, & lignum infauſtum date pabula flammis.
 Aſſenſere omnes, dextraſque, aſtuſque laceſſunt
Bello: pręcipiteſque adamantina poſte reuellunt
Limina Tænareo, atque armamentaria pandunt.
Hìc circumcircà pendent laquearibus altis
Mille nocendi artes. Ficta ſub imagine tandem
Zaccariam ſimulare placet. Volat ocyor euro
Strongilus, & ſacri mox Præſulis induit ora.
Infula temporibus ſummis gemmata coruſcat.
Ex humeris laxata cadit, quam fibula mordet
Aurea, multiplici palla irradiata ſmaragdo.
Annulus in flexo ſplendeſcit pollice, palmam
Serica vtramq; tegit chirothecea intexta, premitque
Dextra pedum, rugis frontem ſimulabat anilem.
Tùm paſſu incedens grauiore, videtur Olympi
Incola, tàm bene ſeſe transformauit Auerni

Spiritus

Spiritus in ſanctum Aligerum; atque ait Eraclio:
Magnanime, ò Princeps, rerum cui ſumma poteſtas,
Cui mentem diuinus honos, pietaſque ſecundo
Numine, ſollicitant ad maxima quæque, trabalis
Ligna Crucis fætor, te victa Perfide, Idumæ
Reſtituiſse ſuæ. Placet ad ſpectacula plebem
Sacra Palæſtinam, totamque excire iuuentam
Ad pompam Solimes, qua circumfuſa triumpho
Excipiat triſidi monimenta ſalubria ligni,
Chriſtiadum exultet tellus; neq; enim eſse dolentes
Lætitia in tanta decet. Exultauit amicus
Cælicolum Dauid, cum portentoſa redibat
Arca, Philiſtæi poſt debellata Dagonis
Templa, frequentatis ante illam ſaltibus aream.
Dat faciles aures Princeps, monitumque triumphum
Imperat. Aulæis ornatur ſemita; pompa
Grata periſtomatum ſatiata licentia muris.
Ipſe triumphanti ſimilem comitatur euntem
Strongilus, & ficta laudat pietate triumphum.
Iamque propinquabat Solimæa ad mœnia Princeps,
Cùm tuba ſollicitum ſtrepuit, caua tympana pulſu
Perſonuere ingens, plauſumque dedere cauernæ.
Ecce autem dum tota Crucis Hieroſolyma pompæ
Incumbit, feruetque pio obſequioſa triumpho.
Erumpit medio ex Acheronte inuecta quadrigis
Ambitio auratis: radiant maleſida metallis
Ora ſuperbificis curtum claudentia circùm.
Bina, ſupercilijs compreſsis, lumina vibrat
Liberiore modo, latèque tumentia collo
Tempora producto, frontemque ad ſydera tollit.
Cæſaries pauone tumet, volitantia tergo
Implicita innumeris holoſerica nexibus errant.
Inceſsu ſeſe ante alios audaciùs infert.
Moxque animis Procerum laudis veſana libido
Serpit, & occultis vitiata ſuperbia telis
Corda ferit. Cuicumque ſuæ iactata probantur
Bellica facta manus, factiſque minora rependi
Præmia belligeris irata voce queruntur.
Ille præire alijs tentat; loca prima ſubire
Hic auet, & multi cunctos contemnere gaudent.

Pau-

Paulatim Ambitione animos agitante, viciſſim
Gliſcit ſeditio; Crucis exulat omnis IESV
Cultus adorantum, victrixque Superbia regnat,
Deque triumphanti retulit ſcelerata triumphum.
Aliger intereà, Solymæ cui contigit olim
Cura, coruſcantis ſpatiatur regna theatri,
Commiſſoſque oculo tractus, Vrbemque reuiſit.
Ambitione fremit, turbari gaudia ligni.
Moxque ira accenſus, vires in prælia miſcet.
Terque facem librans iaculatur dextra triſulcam,
Proſternitque trucis monſtrum furiale Baratri,
Obtruditque Vrbis cinefactum vtrinque cadauer
Liminibus, ſtygijs fruſtrà ringentibus Vmbris;
Nempe ſuperbificæ vt tardet ſpectacula pompæ.
Obſtupuit ſubito tremefactus fulmine Princeps.
Strongilus econtrà detectas cælitùs artes
Tartareas gemit; vnanimeſque in prælia dextras
Implorat ſocias, bellumque inſtaurat Auerni.
Permiſcere animos Procerum, mordere Miniſtros
Zaccariæ, magici veluti tentamine ſucci
Fulmen ab aerea traxiſſent ſede nocentes.
Exaggerat ſcelus admiſſum exitiale triumphi
Turbati, in Sanctos odium facturus, & iram.
Exardet Princeps, animoque piacula tanta
Dùm ſecum verſat, famulos in vincula trudi
Imperat innocuos, totuſque in imagine pœnæ eſt,
Fuſoque admiſsam geminaſset ſanguine culpam.
Intereà verus, fama ſtimulante triumphi,
Illùc ſe celerem vertit, diuinitùs omnes
Tartareas doctus Præſul ſanctiſſimus artes.
Vt primùm aduerſo proſtratum limine cernit
Monſtrum, flammanti cinefactum fulmine, ſacro
ZACCARIAS terit oſsa pede, tactuque nigrantes
Euanuere Vmbræ, cinereſque reſoluit in auras;
Fictaque ſublimis cecidere repagula portæ.
Tùm greſſu properante Ducem petit, oreque talem
Liberiore ſonum edit maieſtate verendum.
Quid commune Erebi noſtris habuere phalanges
Princeps? Quid tantæ feruent ſpectacula pompæ?
Hæccine ſunt noſtræ vexilla cruenta ſalutis?

Hæccine ſunt Chriſti inſtrumenta necis? Sacra quondàm
Pignora, demiſſa coluit ceruice fidelis
Turba, genu flexo, ſtrictis ad colla retortis
Funibus, & cinere aſperſis, laceriſque capillis,
Barbaque incompta, ſaccoque induta, flagellis
Terga rigata cruore, genas lacrymoſa dolentes:
  Vix ea: cum ſubito flammatus turbine fictus
Zaccharias, audaci erumpit concitus ira,
Zacchariamque manu atra indignabundus ab Vrbe
Pellere conatur, probriſque laceſſit iniquis.
Contemptorem illum appellat Crucis, atque miniſtrum
Dęmonis, inuidia morſum, qui gaudia ligni
Perturbare ſacri non exhorreſcat, apertis
Artibus infandis, odio extimulatus, & aſtu.
Reſtitit attonitus Princeps, Procerumque caterua.
Corda ſtupore lapideſcunt, hærentia figunt
Lumina vtrique, huic ſuadenti Præſuli, & illi
Obſtanti pompæ; neque enim dignoſcere poſſunt
Quis Zaccharias ficta ſub imagine vultum
Conſimilem geſtet. Stat vtrique tiara, pedumque
Et chlamis ad talos vſque, ora ſimillima vtrique.
  Scinditur extemplò medium ad certamen Olympus,
Inſolitiſque ſerenato micar æthere flammis.
Gaudet Zaccharias, triſtatur Strongilus, atque
Membra pauore labant. Tunc miſso cælitus igne,
Præcipitem arripuit ſaltum, veſteſque, pedumque,
Ficta tiara cadunt, [illegible]que euaneſcit in auras
Zaccharias fictus; teterrimus aera complet
Fætor, & infernæ horrendùm gemuere cauernæ.
Eluſas artes, diſiectaque tela Baratri
Vt Proceres videre, ſolo procumbere certant,
Poplite vtroque cadente, altiſque ad ſydera palmis
Diuinum auxilium poſcunt, grateſque rependunt.
Ipſeque regali ſplendens Eraclius oſtro
Incumbens genibus, venerabile Numen adorat.
Sceptra cadunt dextra; viduat diademate frontem;
Purpuream tergo chlamidem ſemouit; honores
Gemmarum ſpernit; contemnunt ſura cothurnos;
Nullaque Cæſareos lambit pretioſa pyropis
Serica alura pedes; Paupertas nuda probatur.

Spinea ſerta comas lacerant radiata cruoris
Guttis; hirſutis ſetis intexta Cameli
Lactea membra premit veſtis; lacrymiſque decora
Lumina funeſtat. Cadit è ceruice retortus
Funis, & ore humili lignum amplexatur IESV.
Exultat ſolida Præſul pietate; triumphoque
Ambitione adigente reiecto, limina tandem
Sacra iterùm Solymes tentarier imperat Vrbis.
Procedunt bini, ſacris reſonantibus hymnis,
Aligerùm præeunte choro; Solymæque propinquis
Sponte ſua patuere fores, Lignumque ſalutis
Pignus, in excelſo poſuerunt pegmate; Romam
Mox immiſsuri. TANTI EST DEMITTERE CÆLO
COLLA SVPERBA; animoque humili expugnatur Olympus.

IN TVRCAM.

DIRAE EPICAE.

ERgonè ſemper erit furialibus excita flammis
Impietas victrix? Cęlumnè, an cæca ſecundant
Regna, Acherontæis in bella ruentibus Vmbris?
Ergonè perpetuo fulgebit Luna nitore?
Luna Palæſtinos, quæ cornibus inficit annos,
Noctiſque æternæ compreſſit imagine Idumen?
Vt medium tenet illa Polum, ſceleratque pandit
Cornua, Phæbeis motura nitoribus arma,
Chriſtiadumque die, immiſsa ferrugine Cęlum
Orbatura; ruunt certatim in claſſica Gentes,
Et coniuratæ veniunt ad iuſsa procellæ.
At veniant; ſat enim firma eſt fiducia Cęlo.
Spero, breui proprio tumulata in ſanguine, raptum
Reſtituet Phębum; truncataque cornua Lunæ
Grata dabunt noſtris ſpectacula Gentibus olim.
Nempè ſuis tandèm præſto eſt Roma auſpice, Cęlum.
Cerno Palæſtinum turbari è ſede Tyrannum,
Deſupèr immiſſo violentiùs igne triſulco,
Quò lapſu grauiore ruat. Victoria tandèm
Veſtra eſt, Chriſtiades; inimicas temnite turmas.

Ad Eminentiſsimum, ac Reuerendiſsimum D.

IVLIVM SACCHETTVM
S. R. E. CARDINALEM.

Elegum nuncupatorium.

EVFRATIS, Gangiſque tumens, Niliquè tributis,
Non renuit fontis munera parua ſalum.
Phæbo, quem lætis radiorum plauſibus ornant
Stellæ, etiam triſtes dat philomela modos.
Nec dedignantur cæleſtia Numina chartis
Exprimi, & obſequium vel Stygis excipiunt.
Læta igitur, IVLI, vocalia munera fronte
Excipe, quæ labris dat mea Muſa TIBI.
TE (ſcio) ſepteno celebrant de colle Quirites;
Virtuteſque Tuas Mundus vterque colit.
Et mea, IACOBI ſtimulante Nepotis amore,
Audet ſublimes ſcandere Muſa gradus.
Nempè ALTOVITVS Venetas inuitat ad alta
Muſas, dùm PATRVVM moribus ipſe gerit.
TE Virtus facit obſequijs, TE murice dignum;
TE MAZZARINI regius auget amor.
Gratia ALEXANDRI decorat tua facta; Nepotes
TE dignum reddunt ſtemmate Pontificum.
Non tamen his moueor, dùm parua tributa rependo
Carminibus, multò maxima me ſtimulant.
Me Tua tàm comis traxit veneranda ſenectus,
Quæ nullum à ſeſe reppulit ore truci.
Frons Tua ridenti ſimilis, cui lenitèr inſit
Regia maieſtas, lumina noſtra beat.
Comitèr aſpergis ſalibus mæſtiſſima; labris
Nulli diſplicuit iuſta repulſa Tuis.
Perpetuum ſeruas animi moderamen, amica
Siue ſit, aut falcem ſors inimica rotet.
Corde ſerenato bis vertice VATICANI
Deſcendis, quali ſcandere debueras.
Quò magè ſublimi deſcendere contigit; Orbis
Tanto maiorem deſtinat aura locum.

Plus meruit conſtans deiecta è culmine Virtus,
Quàm potuit celſo fama referre loco.
TE fortunatum (patere) infortunia reddunt.
Scilicèt æternùm gaudia cordis habes.
Fers TECVM meritum, & quamuìs mortalia ſemper
Præmia non referas, nomina ſemper habes.
Aurea non celebrant famam ſimulacra Catonis;
Sed ſimulacrorum quòd fuerit meritum.
Parua nec accedet TIBI gloria, quòd mea lætis
Non dedigneris carmina ferre genis.
Ingentes animos decet indulſiſſe benigna
Fronte beneficijs; vena benigna decet.
Auguror, in terris non TE ſacra purpura linquet,
Donèc adorantem cernat vtrumque Polum.
Tunc mea Muſa fides iterùm rediuiua reſumet;
Et plectro plauſus nobiliore dabit.
Intereà obſequij, & ſummi cape pignus amoris,
Quo mea ſubmittit ſe TIBI Muſa. Vale.

CLARISSIMVS FALCONERIVS Authoris Auditor, immatura morte lachrymas ciet.

EPIGRAMMA.

Aſpice quàm tenui voluantur turbine fata!
Quàm facilè vitæ ſtamina noſtra cadant!
Occidit in viridi iuuenum flos flore iuuentæ:
Occidit ætatis vere ineunte nouo.
Nè mirere; Senum ſuperauerat ille triumphos;
In capitolinum debuit ire iugum.

In

In idem argumentum.

NVnc verè nobis tenebroſis noctibus annus
Currit, & impertit Sol ſine luce dies.
Ad Superas etenim redijt CLARISSIMVS oras;
Nullaque erit vero clara nitore dies.
At fallor; Cęli CLARISSIMVS inditus aſtris,
Tempora luce ſua ſplendidiora dabit.

IN INVIDIAM.

SIquis ad INVIDIAM obliquantem lumina cernat,
Monſtrum, cui carnes dant alimenta ſuæ.
Illa eſt annoſæ ſimilis, quæ curua bacillo
Suſtinet indigno membra grauata malo,
Nempè aliena grauant Vetulam bona; nec ſibi ducit
Inter lætantes ducere poſſe dies.
Gaudia ceu peſtem fugit indignata; malorum
Iliadem cunctis explicuiſſe cupit.
Lingua ſuperfuſo maduit fędata veneno;
Ebria palleſcunt labra virore Stygis.
Siccata introrsùm terrent vtrinque genarum
Antra, nouercali vix agitanda lue.
Lumina ſanguineas ſpirant temulenta fauillas;
Fędaque vipereis frons perarata notis.
Lurida terrificis horreſcunt terga ceraſtis;
Vitta colubriferas ſtringit vtrinque comas.
Nè tamen aufugias. Vis monſtrum tollere? Ride;
Nàm ſolus riſus ſtrangulat INVIDIAM.

PIA TEMERITAS.

Mater vt filium carceribus redimat, Puerum IESVM Virginis è gremio per vim abſtulit; neque priùs reddidit, quàm ſuum recepit.

EPIGRAMMA.

VT rigido reuocet detruſum carcere Natum;
Nil intentatum linquit amara Parens.
Cælum onerat precibus, votiſque, auraſque fatigat
Queſtibus, & lachrymis flebilis ora rigat.
Nil proſunt queſtus; ſurdus rapit omnia ventus.
Irrita cum lachrymis vota, preceſque cadunt.
Materna tandèm ſtimulante cupidine, templum
Votorum lachrymans agmine plena ſubit.
Virgineoque Deum Puerum de pectore mater
Impatiens, nimio cæca dolore rapit.
Atque ait, ò Mater diuini Pignoris. Hoc iàm
Non tibi reſtituam, ni fruar ipſa meo.
His mater perculſa minis auguſta Tonantis;
Reſtituit Natum matris ad imperium.
Sic ſanctè ſceleroſa, minando expugnat Olympum.
Si non peccaſſet, non fuit illa pia.

IN LVCEM VISAM

Nocte Natali Chriſti Domini.

EPIGRAMMA.

NOcturnæ tenebræ fulgent, cum lapſus Olympo
Sol, propiùs tactam luce colorat humum.
Dùm quaſi Sole carens Cælum triſtatur, abacta
Nocte, nouo tellus gaudet adaucta die.
O nimiùm fælix rerum conuerſio! Nàm dùm
Splendet humus, Cælo ſplendidiora parat.
Solem etenim patrio perfectum reddet Olympo,
Cùm carnis nubes non teget atra iubar.

AD IOANNEM CASIMIRVM

Poloniæ Regem, cùm priuato habitu inuiſeret Romæ Auctoris Academiam.

ELEGIA.

MAgnanime ò noſtris CASIMIRE penatibus adſis,
Sarmaticæ Princeps nobilitatis olor.
Accipe regali dextra; nè deſpice noſtri
Sceptra; precamur enim te dominante regi.
Tu fueris portus Sophiæ, & cynoſura laborum;
Tu noſtri Pallas, Mercuriuſque ſoli.
Parua (fatebor enim) & merito inferiora capeſses
Munera, ab auguſta non agitanda manu.
Atque gigantæis non hæc ſunt viribus æqua
Pondera, belligero deſpicienda Duci.
Hæc tamen inuicto nè deſpice lora lacerto;
Sunt etenim ſummæ nobilitatis opus.
Nàm Tibi Sarmaticæ portendent ſceptra curulis,
Virtuti antiquo debita iure tuæ.
Mutabit fortuna vices, paruoque in auitum
Serto abeunte, nouum ſors diadema dabit.
In triplici meliùs Patriæ dominaberis orbe,
Et repetes domina ſceptra vetuſta manu.
Intereà noſtris CASIMIRE aſſueſce periclis,
Sublimi Populis ponere iura loco.
Inſtar ſyderei torquebis Apollinis ignes
Inter adorantes, Palladis arte, iubar.

BENEFICA MORS.

EPIGRAMMA.

COmprime, crede mihi, laxata licentiùs ora,
Quicunque in mortem concipis ore luem.
Aſpice quot premimur morbis? Quæ longa malorum
Ilias excruciet? Quod premat exitium?
Quid ſi perpetuò deberent vltima primis,
Non interruptis nexibus, ire ſimul?
Nulla infelici ſolamina certiùs inſtant,
Quàm quòd in ærumnis vltima deuenient.

AD MENSEM MARTIVM

Vt frigidam procùl pellat tempeſtatem.

EPIGRAMMA.

VT rigidos pellas glacialis frigoris imbres,
Martius à ſæuo nomina Marte trahis.
Ergò quid hibernis aquilonibus aura rigeſcit
Vere nouo? & rigido vapulat imbre ſolum?
Cernis vt immites miſcent certamina Venti?
Vſurpatque ſibi iura aliena rigor?
Cernis vt inſultet nimborum vecta quadrigis,
Et iaciat victrix Bruma per arua niues?
Nomina Martis habes; Hyemi trade omina Mortis;
Vel tanto indignus nomine cede loco.

IN PAVLINVM

cui nullum ſtudium placet.

MVſarum choreas odiſti, & Apollinis arcus,
Nec Te tangit amor Palladis, aut Cereris.
Nulla Tibi vel ſuada placet, vel gratia linguæ.
Semper ab infauſto robore truncus eris.
Truncus eris; neque enim fiet, niſi verbere multo
Ex tàm deformi ſtipite Mercurius.

IN VIGILANTIVM

Academicum frigidum,

CErnis vt auratas Phæbus per inane quadrigas
Ducat, & è ſudo rideat axe dies?
Qui calet ingenio, Pindique eſt feruidus æſtu
Haud timet irati frigoris imbre dies.
Alges? Ingenium caleat; mox frigora pelles;
Immò caleſcentes experiere niues.

RO-

ROMÆ LAVDES.

CARMEN SAPPHICVM.

ROMA Gradiuo, Venerique ſacra,
Mater Heroum generoſa ſalue:
Quæ Iouis conſors quatis imperandi
Fulmine terras.
Auſa maiores numerare Ciues
Regibus, Diuos numerare Natos:
Non es anguſta aula hominum, ſed ingens
Regia Diuûm.
Dexteram bello clypeata quondàm
Pacis æternæ meditaris aras.
In rebellantes grauior, ſerenas
Ora precanti.
Pronus expectat TVA iuſſa Ganges:
Supplices ſeruant TVA iura Gades:
TE colunt Afri ſolium prementem
Poplite flexo.

LINEARVM MIRACVLA

Maxima, quia minima.

ELEGIA.

PRotogenem ſemèl inuiſit peregrinus Apelles;
Nempe colorandi quæritat arte parem.
Illum fortè domo traxere negotia mane,
Nec niſi ad occaſum Sole abeunte, redit.
Intereà impatiens reditus nouus aduena, concham,
Peniculum, tabulam, cumque colore petit.
Nec mora; conſtanti formatur linea dextra;
Qualem non faceret norma probata Probi.
Atque ait, hanc Domino redeunti oſtende tabellam;
Scilicèt vt poſſit noſcere quis fuerit.
Protogenes iam Sole domum occumbente, reuertens
Multa ſupèr famulis hoſpitibuſque rogat.
Vtque renarrantis famulæ portenta retexit,
Protinùs inſolitum cernere poſcit opus.
Vidit, & exclamat, per Cæli Numina iuro,
Vnius hoc fuerit dexteræ Apellis opus.

Prodi-

Prodigio attonitam rapiunt ſtudia æmula mentem;
Imbibitoque ſequax penna colore placet.
Vidiſſes pingentis opus, nec Aranea filum,
Quamquàm oculos fugiat, lenius vlla dedit.
Diſcidit in partes tenuiſſima viſcera fili;
Quàque negant aditus, penna colore ſecat.
Protogene hæc, inquit, ſtat linea ſecta magiſtro.
Hanc reduci oſtendas, fida miniſtra, Deo.
Luce iterùm intereà Phæbus montana colorat;
Lætaque regreſſo fulget Apelle domus.
Vt geminata videt doctæ miracula pennæ,
Sectaque luminibus linea prima patet.
Obſtupit, riguitque comis, menſque hæſitat anceps,
Parua quòd artificis linea teſtis erat.
Non tamen ambiguo terretur honore triumphi,
Sed cæptum calamo ſedulus vrget opus.
Albentem in nigro diſcriminat arte colorem;
Lineaque è medio terna nigrore rubet.
Et benè terna manu deducta rubeſcit Apellis
Linea, Protogenis quæ tegit ora rubro.
Immò triumphali, quæ tingere debuit oſtro
Artificem, fieri murice debuerat.

IN VETVLAM,

Quę ſecari dicitur poſt dimidium quadrageſimę.

Siſtitur in medio lanianda ſecuribus ingens
Vincta ſuperpoſito pegmate triſtis Anus.
Lurida conſpectu, faciem cui plurima circùm
Allia deturpant, tergaque poma grauant.
Hirſutam inficiunt metuenda calantica frontem
Cæpæ: oculi introrſùm: labra nigrore rigent.
Palleſcunt malæ: dentes rubigine linguæ
Hærent: ſollicitat membra vetuſta tremor.
Ventoſam vacuo cruciat ferus Æolus aluum,
Quam vix compreſſam contegit atra cutis.
Languida in inceſſu, curuato corpore, lento
Membra trahit paſſu, vix retinenda pede.
Hæccine erit veſtris laceranda bipennibus? Eheu
Parcite; nàm longa ſat lacerata fame eſt.

RO-

ROMÆ TVMVLVS.

QVid Romam in Roma peregrino lumine quæris?
Heu præter cineres nil habet illa ſui!
Semita vbi currit, riuuſque in vallibus errat,
Aurea crudelis tecta Neronis erant.
Atria Pompeij fuerunt, mox Cæſaris aula,
Nundinæ vbi fiunt carnificina boum.
Iura dedit Mundo Regina ſolique, mariſque,
Palmiſque infecit Solis vtrumque diem.
Vrna ſui facta eſt, proprioque in funere ſeſe
Quærit, & antiquæ nil niſi nomen habet.
Diſce hinc, nulla fore immortalia regna ſub aſtris;
Si mundi potuit Roma perire caput.

IN ROMANVM TITI Amphitheatrum ruinis obrutum,

EPIGRAMMA.

DIcite Romani ſanctiſſima Numina Cæli,
Et Capitolini ſydera clara iugi.
Quis potuit tantum ſaxorum ſternere montem,
Cuius relliquias vix capit Auſonium?
Hiſnè triumphantes ſpectacula ſedibus olim
Conſueuere acies cernere Romulidum?
Siccinè ſyderei moles operoſa theatri
Æmula, ſtrata ſolo ſemiſepulta iacet?
Vix tantæ remanent pretioſa cadauera molis
Preſſa cadaueribus, cineribuſque ſuis.
Scilicèt heu fati leges! Rapit omnia tempus.
Conſona principijs vltima ſemper erunt.

Digitized by Google

DE CVNIS CHRISTI DOMINI Romæ ſeruatis in Baſilica Liberiana.

EPIGRAMMA.

SCis, cur diuini ſeruet cunabula Nati,
Roma Tibi æterni Numinis alma Parens?
Nempè renaſcenti Tua deſtinat vbera Mundo,
Cuius inexhauſto lacte perenne bibat.

DESCRIPTIO INFERORVM.

EPIGRAMMA.

EST locus exiguus media tellure repoſtus,
Pœnarum ſedes, regia ſupplicij.
Hunc Phlegetontæus fluuius circùm alluit atris
Fluctibus, & nouies Styx ſinuoſa premit.
Exulat inde iubar Solis. Solamina nulla;
Nulla manent cordis gaudia; Riſus abeſt.
Squallet Auernalis tetra caliginis vmbra;
Tænarea horreſcit flebile nocte ſpecus.
Hìc miſeri ſoluunt patrata piacula Manes.
Hìc Mors vita foret; vitaque ſupplicium eſt.

VIDVA OCCISOREM Sui vnici filij à morte liberat, & vt filium amplexatur.

ELEGIA.

PRoditor indigna diſcerpit morte Tibullum
Matris delicias, & ſecat enſe caput.
Orbà viro, infelix orbatur prole, vel ipſo
Ætatis primo flore cadente, Parens.
Aufugit Occiſor ſtrictam de more machæram
Sanguineam, dextra non trepidante gerens.
Ecce ſatellitio præcingitur vndique, & armis
Iam iam ceſſurus colla liganda dabat.
Nulla ſibi vitæ reſerata eſt ſemita, præter
Limina, quæ Domini ſanguine ſparſa videt.

Horret

Horret ab aſpectu patrati criminis; audet
Illa tamen trepido ſaxa ſubire pede.
Inuenit allato męſtam rumore Parentem,
Et poſito ferro, procidit ante pedes.
Da veniam tremulis ſuplici clamoribus inquit;
Vel Nati hoc ferro victima cæſa cadam.
Quid faciat pauida occurſu Occiſoris? Ab illo
Promeritam repetat ferro inimica necem?
Hinc dolor extimulat, rabidaque exæſtuat ira;
Hinc pietas ſuplici parcere ſancta docet.
Ante oculos Chriſti ſubijt patientis imago;
Iraque deferuet, totaque contremuit.
Nec mora, in amplexum ruit Occiſoris amicum;
Niſaque Carnificum eſt eripuiſſe manu.
Occiſi abſcondit donatis veſtibus illum,
Et fouet in proprio membra inimica toro.
Vltorem coluere Iouem capitolia Romæ;
Nec fugit impune hinc flagitioſa manus.
Nullaque fulmineæ clementia cognita dextræ;
Quæ rotat vltrices in ſacra geſta faces.
Iure igitur victo tellus inſultet Olympo;
Vincere cum potuit fęmina ſola Iouem.

AD CAROLVM CONTARENVM

Inter Diſcordantes Academicos dictum, *Furibundum*. Alluditur ad eius inſigne academicum, quo exprimitur Veſuuius cum epigraphe, *Dum furit aſtra petit.*

DVM vomit accenſis metuenda tonitrua flammis
Ætna vorax, niuibus nil furibundus agit.
Sic honor ingenium furialibus ignibus armat,
Corq; rigens niuibus DVM FVRIT ASTRA PETIT.

AD DOMINICVM CONTARENVM

Venetiarum Principem.

EPIGRAMMA.

QVàm benè nobilibus DOMINICE moribus, Vrbis
Perpetuæ in ſolio munera prima geris!
Vt priſcæ famæ celebrata reſurgeret ætas,
Quæ CONTARENVM nomen ad aſtra tulit;
Te VENETVM PATRES CAPVT elegiſſe triumphant.
Principe nec poſſunt nobiliore regi.

IN POPELLVM

Poſt tertium ieiunium caſtaneis, & pane veſcentem.

VIſcera torſerunt ieiunia terna POPELLI,
Nec poterant rabidam ſuſtinuiſſe famem.
Ergò fame ſtomachum vacuum ſtimulante canina,
Quicunque occurrunt ſurripit ore cibos.
Caſtaneas crudas, Cereremque vorauit aduſtam;
Dulcius haud Siculas manderet ore dapes.
I, nunc quære cibos conditos nectare; nectar
Dulcius eſt ipſo nectare vera fames.

SENENSIS MAGNIFICENTIA

In Aſſumptæ Virginis celebritate.

EPIGRAMMA.

QVid celebrat veterem trabeata ſuperbia luxum?
Barbara quid memorat ſæcula priſca fides?
Vana theatralis taceant miracula pompæ,
Gaudiaque effuſo parta cruore virûm.
Græcia Olympiacos: Circenſes Roma ſilento;
VIRGINIS vna ſuum SENA loquatur opus.

Digitized by Google

S. IOANNES BAPTISTA
Virginis aduentu in ipſo Matris vtero ſaltus ciet.

EPIGRAMMA.

MAtris adhùc ſacro captiuus compede, ſaltu
 Membra puellari non agitanda cies?
Numinis annè cupis properare ad tecta? Sed illùc
 Non niſi cui pennas donat adibit Amor.
Ergò age, materna implumis nè viſcera linque;
 Hìc etenim pennas ſuppeditabit Amor.
At fallor; ſummo quicunque agitante mouetur
 Numine, pennatas iam ſuperauit aues.

IN HERODIADEM
Præcurſoris caput petentem.

EPIGRAMMA.

COmprime laſciuos ſaltatrix perfida ſaltus;
 BAPTISTA haud ſaltu vox inimica perit.
Nam licèt abſciſſæ referas ſacra præmia linguæ;
 Prò lingua, voces mille cruoris erunt.

HORATII TVMVLVS.

HIC iacet Albanæ telluris HORATIVS ingens
 Terror, & Æneadum gloria magna ſoli.
Tergeminum retulit ſuperato ex hoſte trophæum.
 Scilicèt hæc illi funeris anſa fuit.
Nam Patria hoſtiles dum pectore reppulit enſes,
 E Patriæ ſenſit tela retorta manu.
Heu fortis, fatique vices! Cui infenſa pepercit
 Alba; olli haud parcunt Patria, Roma, Soror.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

SANCTI AMBROSII
Labris fauus diſtillans.

EPIGRAMMA.

DVM placido Puer ore cubat, vitæque futuræ
Grande rudimentum labra adaperta dabant.
Ecce tibi Hiblæis examina mille relictis
Sedibus, AMBROSII recta beata petunt.
Inde quieſcentis Pueri ad cunabula circùm
Inſtar adorantum poplite vtroque cadunt.
Murmura congeminanr, veriſque ſimillima pangunt
Ore imperfectis verba ligara modis.
Carminibus ludunt fictis; erroribus errant
Ordine compoſitis; prælia amica gerunr.
Moxque triumphanti ſimilis tumida ora maniplus
Melle gerens, ronſtris mellea dona parat.
AMBROSIVMQVE petit turba obſequioſa iacentem;
Labraque mellito turgida rore fluunt.
Inde mel hærebat labris, creſcenribus annis.
Quid mirum, ſemper mellea verba darent?

ALIVD.

NOn fuit illud mel, ſed lac cæleſtis Amoris,
Quo ſe ſub ſpecie infinuauit apis.

ALIVD.

CReſce Puer; neque enim deerunt Tibi mellea verba.
Dum labra diuinus nectare pauit Amor.

ALIVD.

MIrum eſt, ſe transformat apis ſub imagine Numen,
Vt potiatur amans nectare in AMBROSIO.

PVER

PVER IESVS

In Patris officina Cruces ſabricat.

EPIGRAMMA.

DVM PVER omnipotens pęnis adoleſcit, & altæ
Firmat membra Cruci, iuſſa paterna colit.
Imperat ille crucem; commiſſum hic ſedulus vrget
Patris opus. Verùm torpet amore manus.
Scilicèt inſolita raptus dulcedine, ligni
Aſpectu trifidi, languet amore PVER.
Se tamèn extimulat, lignoque dat oſcula mille,
Dùmque Cruci labris oſcula mille dabat;
Eccè repentino raptatur amoris hiatu,
Ebriaque vndanti labra ab amore cadunt.
Auguror, extremo Caluari in vertice bello,
Nullus erit membris percitus inde dolor.
Immò voluptatis Tibi vena nouiſſima ſurget,
Cruxque arbor vitæ fiet adulta Tibi.

TVMVLVS DARII

Perſarum Regis.

HAC magnus parua tegitur DARIVS in vrna,
Cui tantum fuerant parua theatra ſolum.
Quem timuit Ganges, cui Perſica Regna tributum
Mille dedere, feri quem coluere Scythæ.
Hunc Macedùm vicere acies; ſtrauere Rebelles;
Confixere Duces; vulnera fixit Anus.
Non tamèn his cecidit; nec regia forcipe vitæ
His abſcidiſſet ſtamina ſæua Soror.
Vis igitur veram læthi cognoſcere cauſam?
Luxus, diuitiæ, Salmacis vnda fuit.

ADA-

ADAMI, ET EVÆ
Tumulus.

Siſte; cauernoſam quid præteris omine rupem
Infauſto? Cineres illa PARENTIS habet.
Hoc tumulo iacet EVA, ſimul cum coniuge ADAMO.
Principium hic vitæ, funeris illa fuit.
Fecit vterque Deo ſimiles, & vterque rebelles.
Ante ortum Natis funera vterque dedit.

IN OBITVM PETRI RONCALLI,
Qui fuerat Authoris Auditor.

EPIGRAMMA.

PETRE meis olim ſolamina grandia curis
RONCALLI, has lacrymas pignus amoris habe.
Immaturus obis, ſi lingua recenſeat annos.
At ſi animum luſtro, nil puerile ſonat.
Namquè immortali Virtus matura triumpho
Scandere debuerat debita regna Poli.

IN HERODEM
Puerum Ieſum morti deſtinantem.

IAMBICVM.

QVem Rex ſecuri deſtinat PVERVM, genu
ASINVS recuruo prædicat Regem Poli.
Hic TE nocentem Numinis cædis facit
ASINVS. Reuſque hoc Iudice, æternas dabis
Pœnas, HERODES. Perge conceptum ſcelus.

FINIS.

EVTERPE
SACRA, ET PROPHANA
Sub
PALLAVICINIS AVSPICIIS
POST DISCORDANTIVM PVGNAS
Ad concordiam reuocata,
IN IESV SOCIETATIS OBSEQVIVM
DISCORDANTIS APOLLINIS
Chelym tangit.

Digitized by Google

CARMINVM ELENCHVS

Quæ ſub auſpicijs Sfortiæ Card. Pallauicini Romana cecinit Euterpe

Doctoris D. Petri de Comitibus.

TRiumphus S. Ignatij Loyolæ Societatis Ieſu Parentis, Poema Epicum.
Ad Cardinalem Sfortiam Pallauicinum, Elegia.
Ad eundem, Epigramma nuncupatorium.
S. Franciſcus Xauerius in fuga triumphans, Epigr. Aliud, in idem argum.
S. Stephanus è lapidibus Cælo rediuiuus, Epigramma.
Ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum, Epigramma.
Ad D. Marium Ghiſium Alexandri VII. Pontif. Max. Fratrem, Epigr.
De Eclypſi Lunæ Tiburi viſa, ſub obitum P. Mutij Vitelleſchi, Epigramma.
Aliud in idem argumentum. Aliud.
S. Ignatius ad Cæli conſpectum exclamat, quàm ſordet tellus, &c. Epig.
Idem pretioſas veſtes cum paupere mutat, Epigramma.
In tumulo S. Ignatij apparuerunt ſtellæ, Epigramma.
Aliud in idem argumentum. Aliud. Aliud. Aliud.
Idem in ſtagno gelido, Epigramma. Aliud.
Ad Valentem Gandulphum habentem orationem funebrem, Epigramma.
B. Aloyſius Gonzaga ſupèr ſchalis incolit, Epigramma. Aliud.
B. Aloyſius fouet in corde Amorem, & Virginitatem, Epigr. De eodem.
Ad eundem, Votum ex febri, Iambicum.
S. Laurentius ex crate ardenti fit Rex Cæli. Epigramma.
Idem vt phœnix ſurgit è flammis, Epig. Aliud, in idem argumentum.
Ciceronis exilium, Epigramma. Aliud. Aliud. Aliud.
In Romam pellentem in exilium Ciceronem, Epigramma. Aliud.
Virginis Deiparæ natalis dies, Elegia.
De S. Maria ad Niues, Epigramma.
Ad Vincentium Caraffam Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem, Iambicum.
Ad Eundem, Iambus purus.
Chriſti triumphalis in Cælum ingreſſus, Epigramma. Ad eumdem.
De Circumciſione Domini, Epigramma.
Antonius Armandus Authoris diſcipulus fit frater S. Franciſci, Epigramma.
Aliud, in idem argumentum. Aliud.
Magi ab Oriente venerunt, Iambicum.
Ad D. Franciſcum Aſiſiatem, Epigramma.
Sancti celebrantur, non verbis, ſed factis, Epigramma.

Emi-

Eminentiſsimo, ac Reuerendiſsimo Principi

SFORTIÆ PALLAVICINO

SOCIETATIS IESV

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

D. Petrus de Comitibus Romanus

fauſtitatem.

TIBI debetur PRINCEPS EMINENTISS. Ignatianus triumphus, cui tota Ignatij Societas tantum debet. Per TE Collegium Romanum, hoc eſt maximum totius Ordinis ſcientiarum emporium, priſtinum Studioſorum feruorem, qui iàm tot ante annis deferbuerat, vel cum fęnore recuperauit, cum tuis auctum ſubtiliſsimis doctrinis diſciplinarum ærarium: tuis verbis extimulata iuuentus: tua auctoritate compulſi Moderatores: tuis exemplis cæteri animati, ſenſim ſine ſenſu cuncti cæpere optare quæ obſoleuerant; factumque contigit cernere, quod ea temporum

con-

conditione, fieri poſse omnes inficiabantur. Per TE vniuerſa SOCIETAS vindicationem ſenſit adeò robuſtam in tuo vindicationum libro, vt elinguem viderit, quæ tacere non potuit, impudentem procacitatem. Quid dicam de alijs tuis elegantiſsimis libris, & præcipuè de theologico Curſu hæreſeos, & impietatis malleo, quibus non vnam SOCIETATIS IESV familiam tutatus es, ſed Romanam fidem, ſummique Dei in terris Vicarij poteſtatem? Quantum exinde fulgoris acceſsit Ordini tuo, quòd Catholicæ fidei propugnator extiteris in perduelles? Iure igitùr vt communem facerent cauſam, quam TIBI è Cælo IGNATIVS purpuram deſtinauerat, ALEXANDER impertiuit è Vaticano. Inter vtriuſq; Mundi gratulabundi plauſus, meum carmen excipere nè graueris, ex hoc vel maximè TIBI acceptius, quòd IGNATIO eſt triumphale. Et ſicùt ille triumphat ex vndis gelidis de cupidineis facibus; Ita & TV ex frigidis meis Muſis plauſum elice amoris TVI verè feruentiſſimum, quo non iàm mihi, ſed SOCIETATIS Parenti optimo gratulemur. Vale.

TRIVM-

TRIVMPHVS IGNATII LOYOLÆ

SOCIETATIS IESV PARENTIS.

CARMEN EPICVM.

PROLVSIO.

Sanctus IGNATIVS Loyola Societatis Ieſu venerabilis Patriarcha, vt impuras Alindis flammas extinguat, ſummis media hyemis rigoribus ſæuientibus nudum ſe collo tenus immergit in gelido ſtagno. Hoc ſpectatulo territus Alins, gradum ſiſtit, eiuſque ante pedes, pænitentia tactus flagitij veniam à Deo precatur. Arripimus ergò hinc occaſionem, poeticis figmentis Diui triumphum celebrandi, vt noſtrum pateat in LOYOLAM obſequium, & amor in vniuerſam eiuſdem SOCIETATEM.

AONIDVM, procùl eſte chori: procùl eſte prophano
Murmure Pierides, caſtas, quæ tunditis aures;
Dùm ſcelerum infandos cantu ſuper aſtra locatis
Authores, puriſque nigrantia monſtra piropis
Ætherei tractus mendaci adſcribitis ore.
Ite procùl; noſtro remouete à carmine greſſus.
Ceſſent indigni nigranti è fauce ſuſurri;
Nàm labra virgineas enarratura fauillas
Virgineos poſcunt latices; modulantia flammas
Pectora diuinas, renuunt Aganippidos vndas.
Tu Superùm flammans acies Diuinus Apollo,
Tu mea plectra moue; voſque ò Sanctiſſima caſto
Numine plena cohors, precor, aſpirate canenti.
Et tu Magne PARENS, SOBOLIS FVNDATOR IESV
LOYOLA, extinctas à Te dùm carmine flammas
Tænareas recolo, excuſaſque è mente tenebras,
In ſua damna Viri laxis properantis habenis,
Atque auidè Ditis, Veneriſque aconita bibentis,

Moxque admiſſuri læthalem in viſcera tabem,
Tu Vatem ſuccende æſtro; Tu dirige carmen.
Dùm recreat placida languentia membra quiete,
Proh quæ Loyolæ deludunt ſomnia mentem!
Parte alia igniuomis tenebroſa per æquora limphis
Lurida præcipiti deuolui flumina curſu
Mente ſubit varia, piceis horrentia ripis,
Limoſoque grauem exhalantia fonte mephitim,
Sulphureaſque imo ructantia gurgite flammas.
Quàque reuoluebant ſeſe, imperioſa minari
Flumina littoribus, ſpumiſque laceſſere ſtellas,
Certanteſque vno velut impete mergere ſaxa,
Cauteſque, & ſcopulos latrantibus obuia lymphis.
Parte alia immenſum vaſto telluris hiatu
Nobile naufragijs exeſa in viſcera montis,
Iucundo cernit delabi murmure flumen.
Salmacidis tumet illud aquis, tantoque tributo
Liberioris aquæ, infectiſque ſceleſtiùs vndis
Phaſiacis, molli nutrit ſub gramine virus,
Fatiferoſque premit larices, quos ceſpite viuo
Deſupèr occultat, ſemperque virentibus herbis.
Perſpicuus liquor eſt. Verùm nè crede colori.
Intùs alit peſtem, qualis truculenta venenis
Miſcuit ambroſiam, mortemque liquoribus aureis
Abdidit, & ſapidis Ææa venefica ſuccis.
Ora tument auro pateris; pretioſa renident
Pocula cryſtallo, luxum irritantia gemmis
Eois, Bacchuſque intùs non diſcolor auro
Blanditur labris; tamèn inſidioſa propinat
Cum Bacco virus, latitanſque potentiùs vrget
Hauſta lues cordi, quò vulnera tutiùs infert
Perſonata mero, nitidoque lateſcit in imbre.
Concita turba colit labris ſitientibus amnes.
Hinc alij vndarum ſinuoſa volumina paludis
Ore tenùs merſi, circùm decliuia prænſant
Littora, & inſano deludunt membra labore.
Ille lacertorum cryſtalla fluentia iactu
Incaſſo (demens) conamine ſiſtere tentat.
Hic pede præcipiti ſeſe deuoluit ab alto,
Tantalica ſtimulante ſiti, mediamque profundi

Iàm

Iàm iàm tacturus reſupino vertice arenam,
Mille modis labens, excuſſaque brachia iactat.
Excipere huic patulo venientes gutture fluctus
Præcipuus labor eſt, necnon haurire palato
Dentibus obtritos. Tanta eſt inſania mentis.
Hi ſummo in fluctu pendent: hos vnda reſorbet
Tempeſtate reluctantes: Tennere profundum
Pallenti ſquallore viri, queis plurima mento
Canities deforme iacet; matreſque, ſororeſque,
Immixtæ iacuere nurus. Quæ proxima Cælo
Lympha caput tollit, tenerorum examine feruet
Vernantum primo laſciuæ flore iuuentæ.
Ramoſa citiùs numerabis in ilice glandes,
Quot lepores in Atho, quot apes paſcantur in Hybla,
Littore quot conchæ, quot Palladis arbore bacchæ,
Quàm ſit fine carens miſerum numerabilis ordo.
Inde catenati, placidiſque liquoribus amnis
Deducti ſensìm leni, dulcique ſuſurro
Labuntur miſeri inſidioſo tramite; donèc
Oppoſitas vincant aduerſi fluminis vndas.
Aſt vbi lympha vias curſu patefecit aquarum
Agminibus, totiſque licet percurrere campis,
Præcipitantur aquæ, qualis Neptunus apertis
Aggeribus, rapidus montano aut flumine torrens
Fertur in arua furens, campoſque, armentaque, & Vrbes
Stragibus inuadit, prædaque audacior ingens
Perſtrepit, iratiſque ſolum diuerberat vndis.
Iamque trahebatur circùm prærupta fluentæ
Ridentes prima aſperſus lanugine malas.
Olli vibratus ferro, myrrhaque cadebat
Ebrius ex humeris, medios diffuſus in armos
Crinis, quem ducto ſaturata licentiùs auro
Vitta coercebat; Qualis Minöia Virgo
Arte laborato crines captiuat in oſtro.
Enſiculus lateri pendet, cui eburneus auro
Mordicùs implexo capulus: Latiſſima collum
Carbaſa tortilibus circùm radiantia pinnis
Explicat: Exiguus capitis de vertice pluma
Multicolorata ſurgit de more Galerus.
Crura ligaminibus grauibus flauente metallo,

Quod Pactolus aquis, locuples aut Hermus arenis,
Aut circumuoluit limo Nabathæus Hydaſpes,
Gemmatiſque notis turgeſcunt: Lambit vtrumque
Mollis aluta pedem. Tyrio veſtitur amictu
Luxuriante auro: cadit e ceruice remiſſum
Palliolum dextra ad læuam: ſtat barbula labro
Barbarica criſpata manu, diſsecta receſsu
Vtrinque ad mentum bifido: tumet vnus, & alter
Sardoniche articulus, collum tenet aurea torques.
Pallor in ore ſedet: liueſcunt lumina: toto
Corpore ſtat macies: ſiccas ſitis aſpera fauces
Vrit, & in graciles graſſatur Mulciber artus.
Ore tamèn latè veluti inter nubila fulgur
Neſcio quid grandis, quod vix diſcernere fas ſit,
Maieſtatis habet. multum inſtar fronte paternæ
Nobilitatis ineſt, dubioque nitore refulget.
Virginei hæc portenta dabat Præceptor Amoris.
Eccè autèm attonitam tanta ad ſpectacula mentem
Dùm figit LOYOLA, omnes videt inde repente
Aufugere Vmbrarum comites, totumque recenti
Sole coruſcantem purum præfulgere mundum.
Qualiter alipedes Pirois, Eous, & Æthon,
Igniuomuſq; Phlegon, tenebriſq; & nocte ſubactis,
Inductam piceis nigrantem è nubibus vmbram
Centeno effoſsam pharetrati Numinis ictu,
Arce fugant toto radijs, cælumque reſoluunt
Obſidione tenebrarum, luciſque colorant
Aereos tractus minio, terriſque reportant
Auratis Tythana rotis, ferrugine dempta.
Circumquàque oculorum aciem ſtupor allicit, atque
Suſpenſa attonitus circumſpicit omnia luce.
MATRONAM aduerſo venientem tramite cernit,
Quam circùm Aligerum hinc inde obſequioſa pererrat
Munere læta cohors, faciliſque ad iuſſa iuuentus
Aduolat, & DOMINÆ proni veſtigia lambunt.
Diuini quantùm inſtar habet! Quantùm illa refundit
Numinis! Ore iubar rutilat, radijſque micantes
Dulce nitent viſus, ſimilis coma fulgurat aſtro.
Aureus è ſummo contextus vertice fulgor,
Syrmatis in morem, talos ſinuatur ad imos.

Per-

Perſtringit ceu Luna pedes: ſtat candida ſacris
Infula temporibus: candentia lilia palmis.
Allicit ad ſeſe, non incutit illa timorem
Maieſtate; trahunt oculi, non ſpicula vibrant.
Recreat aſpectu, non terret fronte minaci,
Atque ſupercilio. Miſcet grauitate lepores,
Maieſtate ſales: Niueiſque fragrantia membris
Titillat ſenſus, puroſque inſpirat amores.
Illaque LOIOLAM roſeo ſic ore laceſſit,
Quid tardas LOIOLA? Tuos quæ comprimit artus
Segnities? Viden vndantes quas flumen in auras
Eructat flammas? quas tollit ad aſtra fauillas?
Hi mea diſcerpunt flammantes lilia fluctus.
Namque venenatos immiſcent fonte liquores,
Læthiferumque trahunt mentito murmure virus.
Fluminis aſpectu viſus corrumpitur: aures
Vndarum ſonitu torpent: odor inquinat auras.
Limpharum attactu molleſcunt corpora, & artus
Deficiunt, ſenſim concepta pectore tabe.
Aſpicis è capitis iaculantem vertice mixtum
Nobilitate iubar? Carpentem vere tenellos
Annorum ætatis flores, temerèque ſecantem
Arte Palepaphia, ductoque Cupidinis arcu?
Heu quoties mea tacta gemunt candentia telis
Lilia laſciuis, rectumque volatile ferrum
Spumigena, quoties infligit vulnera cordi?
Iura Pudicitiæ violat, Venerique frequenter
Victima cæſa cadit, centumque & mille Sabæo
Igne calent aræ, fumuſque altaribus ingens
Thure vaporatis auras petit arduus, atque
Signa triumphati pandit per inane Pudoris.
Extingue has flammas; puras ſupèr inijce lymphas.
Cæca ſuperfuſo flamma euaneſcat in vmbras
Cypria Neptuno, terriſque, Poloque fugata
Nigrantes petat illa plagas, damnataque luctu
Agmina perpetuo, & tenebrarum regna reuiſat.
Mox Venus ipſa cadat, templumque, & victimæ, & aræ
Diſpereant, puri contorto fulmine Amoris.
Eripe de flammis captiuos; eripe ſaltem
Deuotum quondàm caput infelicis Alindis,

Deuo-

Deuotum mihi, cum vix primas attigit auras,
Parcarumque colo vitalia penſa ſubegit.
Eripe, namque meo primæua ab origine vitæ
Seruitio ceſſit rerum cui ſumma poteſtas.
Nè trepida, LOIOLA; pigros quate corde timores;
Macte noua virtute; manus aſſueſce periclis
Bellorum, ſacro victuras Marte phalanges
Tartareas, fuſiſque nigro ex Acheronte maniplis,
Hoſtili toties ſaturandas ſanguine, & atra
Pulſuras Erebi metuendum ſede Tyrannum.
Aggredere, ingentem ſobolem ò ingentior ipſe
Bellantum geniture Deo. Sacri imprime Martis
Prima elementa tuis; generoſos inſtrue Natos.
Nunc primùm audaces aliena pericula palmas
Exacuant bello; nunc primùm è dente trifaucis
Victrices reuocent, penitiſque è faucibus Orci
Semeſos retrahant, longè meliore triumpho
Herculeo, victis Mundo, Se, Cerbero, & Igne.
En ego Virginitas adero. Procùl exulet omnis
Corde pauor; Quid enim poterunt languentia Ditis
Tela, adamanteo munita in pectora ſcuto
Numinis, inque animum me Virginitate potentem?
Eia age rumpe moras, & Alinda ab Adonidis ictu
I, remoue pernix, teloque repercute telum.
Dixit, & ad læuam reiecto ſyrmate, telum
Aurata rapuit pharetra, manibuſque decoris
Dùm dat LOYOLÆ, candenti hæc addidit ore:
Accipe Tænareis non eruta fulmina flammis,
Ætnæis neque rapta rogis, cęciſque cauernis
Et Brontis, Steropiſque; ſacri ſed amoris in antro
Diuina fabricata manu. Simùl accipe robur,
Quo valida poſſis præcordia Alindis in ima
Contorquere manu, fulmenque rotare lacerto.
Haud procùl ingentem, quò cum peragrauerit orbem
Phœbus, in occiduos morituro lumine fluctus
Vertit equos, reuocatque alto defeſſa labore
Corpora, terrarumque relinquit ſceptra ſorori.
Saxeus ingenti ſubiectam amplectitur arcu
Torpentem, nullo ſtrepitantem murmure lympham
Pons, mediam quæ fixa viam diſcriminat alueo.

Hìc

Hùc propera, poſtquàm medius contraxerit vmbras
Phæbus, & aurato Veſper feſtinat ab Æthra.
Intrepidè hìc vndis concretis frigore, collo
Artus conde tenùs; donèc ſtimulantibus imis
Corda Cupidinibus, Cythereæ ad ſueta vocatus
Iuſſa, Dionæis data præda iugalibus adſit.
Inſanos conſiſte pedes, greſſumque nefando
Tramite ſollicitè remoue, conceptaque vota
Dele animo, optatumque malum, mentiſque furores
I, prohibe; inuiſumque nefas, votiſque peractum
Crimen, adhùc primis natalibus occidat infans.
Æternis terreto minis, animumque capacem
Diuini doceas præcepta timoris, & æquæ
Pondera Iuſtitiæ; dextraque rotetur ab aure
Fulmen, & emiſſum vocemque, auraſque ſequatur.
Vulnera, quæ facies, ſanabunt vulnera; vitam
Cuſpide quam tolles, meliori fænore reddes.
Hoc tantum præſta; tibi nec ſit cura futuri.
Portenti poſtrema mihi committe, & in auras
Extemplò tenues abijt, Cælumque ſubiuit.
Mox LOYOLA pigro excutiens è corpore ſomnos
Surgit, & alata miratur cuſpide dextram
Armatam, tacitèque animo dùm viſa recurſant,
Fluctuat irarum æſtu, atque implacabilis vltrò
Grande rudimentum ponit: Spes certa volentem
Erigit, ardentique abſumit prælia voto.
Euibrat ore faces, ferrumque volatile torquet
Terque, quaterq; manu, dextramq; laceſſit ad ictum.
Territat vſquè minis, transfigit Alinda rotata
Cuſpide, virgineum vocat ad certamina Martem.
Sacra vocat, vocat arma manu, belloque potentes
Exacuit vires, animoſque incendit ad arma:
Oſtenſis inhyat limphis, iuſſumque recurui
Pontis iter cupit, & longam caſtigat eundi
Qualemcumque moram, prædæque audacior inſtat.
Qualitèr alta trabi ſuſpenſa laceſſit hirundo
Voce canem; aut paruo interiecto flumine, viſa
Errabunda lupum depaſcens gramina circum
Exercet, ſtimulante fame, vel bucula pinguis,
Aut ouis infeſto vigili cuſtode relicto.

Digitized by Google

Spumeus orc famem exacuit vapor intus adactus,
Siccaſque extimulat fauces: falſedine linguam
Vellicat, & vacua dentes exaſperat ira,
Atque abſens auidum mordet data præda palatum.
Guttura ſæuitie ſtrepitant: vlulata fatiſcunt
Viſcera torta fame: rabie extimulata viciſſim
Claſſica ſæua canunt, & inani attrita labore
Agmina dentatæ variant certamina Gentis.
Sic adigente ſacro diuini Numinis æſtu
Aduolat, & celeri loca iuſſa, fauentibus auſtris,
Virginitate regente, petit veſtigia greſſu.
Hic genibus flexis, paſſiſque ad ſidera palmis,
Talibus exorat precibus: da Virgo petenti
Propitium, da Virgo tuum quod ſponte laceſſis
Numen. Prò tè ſuſceptis ingentibus auſis
Annue: felici ſuccedant omnia curſu.
Dirige pugnantem, duce te, audacique rotantem
Fulmina iuſſa manu: iaculi lapidoſa fatiſcant
Cuſpide virginei, durumque adamanta reſoluat
Cordis Alins. Cadat icta ſolo execranda malarum
Ara voluptatum: Veneris domus improba: aſylum
Monſtrorum inuiſum: ſcelerum ruat armamentum.
Vix ea: cum ſubito crepuit per nubila Cælum,
Læuumque intonuit, tonitruque ad vota micanti
Annuit aſpectu, cæleſtiaque obtulit arma.
Ignea vis animum diuino robore firmat,
Certaque magnanimæ facta eſt victoria menti.
Nec mora, brumali concretas frigore lymphas
Intrepidè ingreditur, nudataque membra rigenti
Regnatrici hyemi ſubmittit. At vnda repente
Obſtupuit, ſtrauitque viam diuiſa capacem,
Demiſsèque ſuis venientem excæpit in vlnis.
Intereà Cytheræa graui perculſa pericli
Pondere, ſollicitè tenebrarum è ſede nigrantes
Agglomerat nimbos; ſtygioſque è ſedibus imis
Conuoluens latices, conatur inane procellis
Miſcere, & Diuum Cocyti mergere lymphis.
Vndique nigranti obnubi caligine Cælum,
Et ferrugineo velari ſydera amictu.
Inſanæ ventorum animæ, velut agmine facto,

Tyſi-

Tyſiphone ſtimulante petunt Neptunia regna,
Et iuſſis onerantur aquis, totumque repentè
Tranſportant pontum. Tolluntur in aſtra furentum
Agmina lympharum, miſceturque æquor Olympo.
Inde catenatis effuſis imbribus, atra
Tempeſtas ſæuit, Cælumque reſoluitur imbre.
Inſtat Neptunus, miſſique licentia ponti
Abſorbet campos, tumuloſq; atque omnibus vnam
Dat faciem terris, & valles montibus æquat.
Vltima terrarùm timuere pericula Gentes,
Antiquum chaos, iratoque ex æthere rursùs
Deucalioneos iuiſſe in prælia fluctus:
Omnia pontus habet. Solum reuerentior horret
Mergere LOYOLAM Neptunus; Quippè verendi
Corporis attactu diuinum ſentit in illo
Pondus ineſſe, Viroque nihil mortale ſub illo.
Cognouitque notas, metuendaque iuſſa Tonantis
Virginea perarata manu, commiſſa procellis
Nè faciat; retròque viam remeauit. Et vnda
Tacta dolore graui, demiſſo murmure primi
Audacis nimiùm veniam conaminis orat.
Tùm LOYOLA animis cæleſtibus additus, vndis
Ite, ait, ò celeres quò vos mundi arbiter egit
Principio; neque commiſſi confinia regni
Spernite, queis circùm veluti ſub carcere clauſit.
Diſcite ſupremi non temnere iuſſa Parentis,
Irarumque rogos congeſta extinguite arena.
Dixit, & vndarum cunei per aperta ruentes
Æquora, ceu ſolemni ingens excita tumultu
Turba, cito repetunt Neptunia regna volatu,
Et redeunt Phæboque dies, Phæbuſque diei.
Sol ruit intereà, ſeſeque immergere Ponto
Incipit Heſperio, & montes vmbrantur opaci.
Haud tamèn optata, qua cætera pace fruuntur,
Noctis Alins fruitur, ſomnoque indulget inerti.
Prò ſomno referebat opus nox improba Alindi
Conſuetum, nigra flammarum luce peractum
Luce Dioneæ matris, tractuſque furore
Carpit iter, ſuetaſque plagas petit arduus; Et iàm
Certa tenet propiùs veſtigia pontis; & vndas

Proſpectare datur, Phæbi regnante Sorore.
Tùm viſo LOYOLA Viro, monſtrataque noſcens
Corpora, ſuccenſo ſimilis, quò perfide, clamat,
Quò ſcelerate ruis? Quò te via ducit euntem?
Siſte pedem, æternis flammis data præda; nefandum
Siſte pedem; inuiſoſque Deo iàm comprime paſſus.
Immò abi, & aſſueto corrumpe Cupidine pectus,
Aſtraque perpetuò compelle ad prælia. Sumam
Ipſe tibi vel morte mei, vel ſanguine pænas.
Ebibe peſtiferum, immò peſte nocentiùs ipſa
Virus, Alins; Ipſe, ipſe bibam tibi pharmaca, & aſtra
Ad tua conabor deducere vota. Manuque
Contorſit iaculum, miſſumque per aera rexit
Virginitas, certumque aciem direxit ad ictum.
Vt primùm Zephiros hauſit vitalis arundo,
Contremuere lacus circùm, Stygiæque cauernæ
Confuſæ ingemuere. Volat tamen illa per auras
Cuſpide, & attoniti inuadit præcordia Alindis,
Obſcænumque bibit medio de corde cruorem.
Hic cadit extincto ſimilis prolapſus in ora;
Voceſque, & lacrymas introrſùs deuorat ingens
Conceptas dolor, Iſmeniæque ſimillima buxo
Ora habet, & toto torpeſcit corpore; poſthàc
Non niſi victurus vitæ melioris alumnus.
Gaudet humus, geſtitque aer, lætantur & vndæ;
Lætitia floreſcit hyems; Cælumque triumpho
Plaudit, & impletis paritur victoria votis.

AD CARDINALEM SFORTIAM PALLAVICINVM

Sacri muricis inſignia ſuſcipientem.

ELEGIA.

SFORTIA adoratam Populis tandèm exere frontem;
Exere laurigeram PALLAVICINE comam.
Illa triumphales plauſus ſibi vendicat Orbis;
Huic omnes vellent ſtemmata Pontificum.
Maieſtate nitent regalis tempora frontis;
Diuino vertex tollitur ingenio.
Multum alij debent collato muricis oſtro;
Sed multum debet Purpura ſacra TIBI.
Nempè nites, ignes inter, ceu Luna minores,
Doctrinaque alijs, ingenioque præis.
Hinc tamen haud vmquàm tumefacta ſuperbia faſtum
Admiſit cordi PALLAVICINE tuo.
Immò verecundi diuina modeſtia vultus
Allicit ad ſeſe lumina, corda trahit.
Nulli hominum patuit doctæ ſapientia mentis
Alta tuæ, cui oris non patuere ſales.
Nunc verè ætatis redierunt ſæcula priſcæ,
Cum Virtus æqua lance ferebat opes.
Aſtræam in GHISIAM redeuntem vidimus AVLAM,
Cum Tua ALEXANDRI eſt Purpura facta manu.

AD CARDINALEM SFORTIAM PALLAVICINVM

Epigramma nuncupatorium.

Accipe ridenti mea parua volumina vultu
SFORTIA; nec ſpernunt ruſtica dona Dij.
Carmina pauca quidèm obſequioſi munera cordis;
Attamèn ingenti præbita corde TIBI.
Dùm quis dat quod habet, cumulatiùs ille Tyrannis
Donat; ſic Vetulam prætulit Omnipotens.

S. FRANCISCVS XAVERIVS
In fuga triumphans.

EPIGRAMMA.

DVm rotat infeſta penetrabile cuſpide ferrum,
XAVERIO vt cædat barbara Turba caput:
Ille fugit, tumidoque viam remoratus ab amne,
Vaſta catenato flumina ponte domat.
Fortior Alcide annoſum è radice reuulſum
Robur, in obiectas præcipitauit aquas.
Prodigio attonitæ ſubiecti fluminis vndæ
Excipiunt ripa nobile vtraque iugum.
Nec mora: Barbaries proiectis cernua telis
Expoſcit latices obſequioſa ſacros.
Victor vtroque HEROS fugiendo ex Hoſte triumphat.
Si non fugiſſet, fecerat ille minùs.

Aliud, in idem argumentum.

SIſte pedem FRANCISCE; metunè fugaris, an ármis?
An TIBI barbarico ſolus ab hoſte times?
Innumeras nupèr potuiſti ſternere turmas
Indorum, & ſæuo tradere iura mari.
Quin immò obiectu generoſi pectoris omnem
Obſtantem ſolus perdere Barbariem.
Cur igitur fugiat quæris? Cerne omnia circùm,
Victaque perſpicies Tartara, Tela, Mare?
Non fugit, at fugat hoſtiles cedendo phalanges,
Quas nempè aduerſas hoſtibus Orcus habet.

SANCTVS STEPHANVS
è lapidibus Cælo rediuiuus.

EPIGRAMMA.

NIL poterit Diuum peſſundare ſaxeus imber;
Semper erit pugnæ STEPHANVS ipſe ſibi.
Auguror, vt Cælo tandèm nouus incola ſurgat,
Deucalioneo ſpargitur imbre caput.

AD

AD ALEXANDRVM VII.

Pontificem Maximum.

EPIGRAMMA.

IVre præis cunctis, qui ſceptra vicaria Cæli
Tractas; nec Reges ſunt in honore pares.
Nempè illos fortuna Duces, Regeſque creauit;
TE Virtus dignum reddidit imperio.

AD D. MARIVM GHISIVM

ALEXANDRI VII. Pontificis Maximi fratrem.

EPIGRAMMA.

CVm TE magnanimo dotatum pectore cerno,
Regaliſque patent grandia ſenſa animi.
Haud TE vulgari concretum ſanguine; Regi
Sed ſtirpis duco nobilitate parem.
Agnoſco antiquos GHISIO DE SANGVINE faſces.
Nempè Aquilam vilis nulla columba parit.

DE ECLYPSI LVNÆ

Tybure viſa, ſub obitum Mutij Vitelleſchi S. I. P. G.

EPIGRAMMA.

DVM ſuper inducta tegitur caligine Phœbus,
Pullato tegitur ſyrmate Luna ſoror.
Defectu fratris patitur germana labores;
Fratre nitente nitet, fratre cadente cadit.
MVTIVS Æneadum ſeptemplice colle triumphat,
Debitaque aereis fertur ad aſtra rotis.
Moxque aſſueta nigras dùm cornua pandit in auras
Phæbe, fraternum ſenſit abeſſe iubar.
Scilicèt ille Poli meliori parte coruſcat.
I, nunc & Solem, ſi potes, eſſe nega.

Aliud

Digitized by Google

Aliud in idem argumentum.

MVTIVS illuſtri viduauit lampade Romam,
Lunaque nigranti cornua fronte gerit.
Scilicèt igniuomi patuit cui ſumma poteſtas
Tramitis, alipedum comprimit vſquè rotas.
Romanumque citos iubet imperioſus ad axem
Flectere, & abreptum continuare diem.
Moxque diem reduci reddunt Hyperione Romæ;
Et longo tandèm Sol redit exilio.
Nil mirum, Æneadum terdenos MVTIVS annos
Mænia luſtrarar, munera Solis habens.

Aliud in idem argumentum.

VT primùm Romæ defectum ſubdita cernunt
Aſtra VITELLESCHI, tetra nigrore dolent.
Extinctùm gemuere Iouem Capitolia ſummum;
Nullaque ab aduerſo Tybure ſigna nitent.
Ignara Herculeos repetit Latonia tractus,
Cornuaque ardenti dat reparanda Deo.
Cornua fraterno pallent fraudata nitore,
Romulidum propiùs Phæbo adeunte plagas.
Romaque tunc ſenſit reuocatum Tybure phæbum,
Cum iubare emicuit deteriore dies.
Vrbem Sol repetit, linquit cum MVTIVS Vrbem.
Roma etenim Soles non capit vna duos.

S. IGNATIVS.

Ad Cæli conſpectum exclamat, *quàm ſordet tellus, dum Cælum aſpicio!*

EPIGRAMMA.

DVm noctu LOYOLA Poli ſpatiatur in agris,
Aſtraque conſpicuo lumine clara legit.
Heu quàm ſordeſcunt (exclamat) munera terræ,
Sydera dùm cerno, diuitiaſque Poli!
Audite hoc miſeri quicunque reuoluitis atro
Mancipia Eumenidum corda ſupina luto.
Deſpicitis ſtellas, inhianti ſordibus ore.
Noſcere vera cupis gaudia? Cerne Polum.

Digitized by Google

Idem pretioſas veſtes mutat cum paupere.

EXue DIVE ſacrum gemmanti ſyrmate pectus;
Exue, & armorum pondere ſolue manus.
Exue; nàm quantùm mortalis in Orbe repellis;
Tantùm immortalis gloriæ in Axe paras.

IN TVMVLO.

S. IGNATII LOYOLÆ apparuerunt ſtellæ.

EPIGRAMMA.

FLammeus hoc tumulo LOYOLA reconditur. Ignem
Spirat adhùc. Cineres cernis vt aſtra fouent?

Aliud.

QVæ ſtellas cinefacta fouent, cinefecit Amoris
Oſſa rogus. Cineres tange, micabit Amor.

Aliud.

QVæ ſuperis radiant incendia pura theatris,
Oſſa fouent ſacris ignibus vſta Dei.

Aliud.

VT ſacros rapiat cineres, ſua lumina Cælum
(Nàm ſtellæ cæli lumina ſunt) aperit.

Aliud.

AStrorum captator erat LOYOLA; ciniſque
Nunc quoquè conſuetis artibus aſtra capit.

Idem

Idem in ſtagno gelido.

Super illud, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

Errea regnabat pluuiali hirſuta capillo
Nimborum mater, filia nigra Stygis.
Vndique crudelis facies immitis Erynnis
Terrorem gelidis incutiebat aquis.
At Loyolæos extinguere pectoris ignes
Non valuere noti, nec valuere niues.
Scilicet æterno præcordia ab igne caleſcunt,
Viſcera, quo ſemper Diuus adurit Amor.

Aliud.

Orda fouet niuibus LOYOLA, ipſaſque per vndas,
Ceu paleas inter, ventilat aura rogum.
Ignis erat Diuinus; Aquæ vis nulla reſiſtit,
Cui ſacra diuinus corda præuſſit Amor.

AD VALENTEM GANDVLPHVM

Canonicum D. Marci orationem funebrem habentem in morte Sereniſſimi Venetiarum Principis.

EPIGRAMMA.

AM benè voce Ducē extinctū, GANDVLPHE figuras,
Vt videare animam reſtituiſſe labris.
Concidit exanimis Princeps; tamen ora reſolue,
Vitaque incipiet mox meliore frui.
Ergò quid extincto ſimili atra voce parentas?
Haud perijt Princeps, qui rediturus obit.
Eccè tuo redijt vigor artubus immortalis,
GANDVLPHE, extinctis. Exulet ore dolor.
Incipe Piſauro portendere voce ſalutem;
Nàmque tuo æternùm viuet ab eloquio.

B. ALOYSIVS GONZAGA

Cubiculum paruum ſupèr ſchalis incolit.

EPIGRAMMA.

HOſpes terrarum, ciuis Cæli abdita ſchalis
Tecta ſupèr, vitam degit ALOYSIVS.
Hoſpitium haud illud Diuo ſedeſue morantis;
Sed ſchalæ in Cælum deproperantis erant.

Aliud.

PAuperiem Chriſti complexus in abdita ſchalis
Se retulit, paruo diues in hoſpitio.
Nil habet, & tamèn eſt Cræſi locupletior auro;
Nàm cum ſpernit humum, Cęlum emit, atque Deum.

B. ALOYSIVS GONZAGA

Fouet in corde ſe inuicèm gignentes Amorem diuinum, & Virginitatem.

EPIGRAMMA.

DVM tacitè Superis animo ſpatiatur in agris
Gonzaga, & ſuplici prouocat ore Deum.
Soluitur in niueas æſtu penetrante medullas,
Atque calent artus quo riguere gelu.
Nempè Amor, atque Pudor natis generantur. Amoris
Virginitas cauſa eſt, Virginitatis Amor.

De eodem.

PAngite in obſequium Gonzagæ carmina mille.
Vix tamen hæc veſtræ munera faucis erunt.
Tu, mea Muſa, modis melioribus vtere. Metro
Pange cor, vt præſtet munera cordis Amor.

AD B. ALOYSIVM

Votum ex febri.

IAMBICVM.

QVos è cubili dedico modos Tibi
Æger, benigno reſpice è ſumma Poli
Regione vultu. Nàmque tempeſtatibus
Agitata mens, curaque inextricabili
Vexata Muſa, carmen hoc vix condidit
Dolore partum, febribus ſemper vacans.

S. LAVRENTIVS

Ex crate ardenti in Regem vngitur Cæli.

DVM ſupèr ardenti recubat LAVRENTIVS igne,
Carnificis tali prouocat arte manum.
Verte mea immitis flammantia membra Tyranne;
Pabula namque tuæ jam feritatis habes.
Dùmque reuoluebat ſacra membra Tyrannus, ad aſtra
Reſpicit; & ſacro cælitùs imbre fluit.
Imbre fluit, quo flamma nocens non membra vorauit,
Muriceat æthereus regia fecit Amor.

S. LAVRENTIVS

Vt phænix ſurgit è flammis.

EPIGRAMMA.

NIL tibi ſæue Deci renouata incendia proſunt;
Scilicèt in DVVIM nil facit iſte rogus.
In tua damna feras iactaſti Barbare flammas;
Inque tuum repetet flamma inimica caput.
At DIVO, vt ſurgat phænix rediuiuus Olympo,
Igneus abſumit membra vetuſta rogus.

Aliud

Aliud, in idem argumentum.

COrpore conſumpto, rediuiuus ab igne reſurgit
DIVVS, & è cinere Spiritus aſtra petit.
Ergò feræ potuere nihil conſumere flammæ,
Prætèr mortalis temporis ingluuiem.

CICERONIS EXILIVM.

EPIGRAMMA.

I, Felix TVLLI quò Te Romanus adegit
Conſul, & exilium nè vereare, ſubi.
Nàm quæ Te pellit, lacrymis comitatur euntem
Vrbs, comitemque Tibi ſe dedit exilio.
Nempè cor es Romæ, Romanæ es ſpiritus Vrbis;
Teque abeunte procùl, Roma cadauer erit.

Aliud in idem argumentum.

LÆtus abi; quòcunque petes eris incola Romæ;
Nàm tecum Romæ cor, animumque trahis.
Nec tua Romanis potis eſt depellier oris
Virtus, quæ nullo pellitur exilio.

Aliud in idem argumentum.

POne metum TVLLI, depelle è corde dolores;
Et quò Romanus iuſſerit, exul abi.
Erraui; potiùs Tibi Patria amica triumphum
Deſtinat, & pompam mænia non capiunt.
TE video reducem comitantibus ordine cunctis
Patribus, & Patriæ dicier eſſe Patrem.

Aliud in idem argumentum.

Q Vid mæres, Tulli? Damnatus ab Vrbe recedis
Exul, & excipiet terra aliena pedes.
Verum eſt; Exilium tamen hoc nè dixeris; omnis
Nàm Tibi Romano Patria Mundus erit.

IN ROMAM
Pellentem in exilium Ciceronem.

E Xilio Patriæ damnas ingrata Parentem?
Hæne beneficijs ſunt tibi Roma vices?
Serò tamèn ſoluent hæc tanta facinora pœnas,
Cùm repetet flammis Te Catilina ſuis.

Aliud in idem argumentum.

N Vlla Tibi poſthàc, pulſo Cicerone, nitebit
Roma dies; Phœbus nec dabit ore iubar.
Sol Romæ eſt CICERO; Cicerone abeunte, recedent
Romæ omnes clari cum Cicerone dies.

VIRGINIS DEIPARÆ
Natalis dies.

ELEGIA.

V IRGO oritur, cui terga nitent radiantia Phœbo,
Lambit adoratos ſubdita Luna pedes.
Stellarum circùm radiata Galaxia frontem
Cingit, & auratas fax duodena comas.
Cuius in obſequium Superorum mille laborant
Agmina, & ad nutus ſeruit vterque Polus.
Nàm Regem paritura ſuum, paritura Tonantem,
Iura dabit ſolio proximiore Deo.

Diſce

Digitized by Google

Diſce hinc quæ deceant tantæ cunabula Matris
  Excæpiſſe ſuo regia membra ſinu.
His aurum tellus, pontuſque corallia præſtent;
  Hiſque triumphales Luna, & Apollo comas.
Indus ab eoo tranſmittat littore gemmas;
  His tribuat Ganges obſequioſus opes.
His niueos diues ſubnectat Erithra lapillos,
  Tinctaque det puro murice vela Tyros.
Fundat humus violas, depectant vellera Seres,
  Fingantque extructo molle cubile toro.
Materiem fuluo Titan diſcriminet auro,
  Et varium ducto lumine pingat opus.
Temperet argento fraternos Luna nitores,
  Miſceat & fuſum candida lucis ebur.
Cornua quin etiam curuato tempore ſubdat;
  Vt gemina moles fronte bicornis eat.
Sidera in ornatum circùm ambitioſa frequentent;
  Et Dominæ cunas flore ſalutet ager.
Intereà diuinus Amor deducta per artem
  Robora ſolerti nectat vtrinque manu.
Mox & fatidicis decus immortale figuris
  Addat, & inſculptis aurea ſigna notis.
Illic virgineos imbelli Marte triumphos
  Cælet, & auratis ſtemmata danda comis.
Illi auium cantus puerilia membra ſopore
  Perfundat dulci, membra habitanda Deo.
O vtinam diuina meo requieſcere corde
  Virgo velit, ſalient pectora lætitia.

DE S. MARIA AD NIVES

DVM gemit ardenti languens Neptunus in vnda,
  Et vomit accenſas Syrius ore faces.
Ecce repentino candeſcens vellere tellus
  Explicat hybernas ambitioſa comas.
Diſce hinc quid poſſit Genitrix auguſta Tonantis;
  Flammea corda facit candidiora niue.

AD

AD VINCENTIVM·CARAFFAM,

Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem.

IAMBICVM.

CARAFFA, tellus obſecrat, Polus iubet,
Vterque habenas porrigens Cætus ſacri
IGNATIANÆ ſedis; hoc ceruix onus
Subeat precantur. Erige ad frænos manus.
Terram precari nouimus ſuffragijs
Superantibus; Te Præſidem Cælum Gregis
Optaſſe IESV, comprobat diuinitùs
Iniecta cunctis ſancta conſpiratio.
Fautore vtroque gaudeas; nàmque indicant
Prudentiam Terra, Aſtra ſanctimoniam.

Ad eundem.

IAMBVS PVRVS.

DEdere dena quinquies Patres Tibi
CARAFFA vota; Cælites tamen priùs,
Tonante ſic iubente, mille millia
Diebus vſque termino carentibus
Dediſſe, ſanctitas probat ſatis tua.

CHRISTI TRIVMPHALIS in Cælum ingreſſus.

SYdera ſol repetit, geminant quoque ſydera plauſus;
Geſtit in occurſum curia Cælicolum.
Obſequioſa omnes venientem voce ſalutant
Victorem, Regem, Numinis vnigenam.
Miraris? tumidos qui fregerat impiger aſtus,
Debitus huic ſupera ex arce triumphus erat.

Ad eundem Chriſtum triumphantem.

SAt rubuit præiens diuino aurora cruore;
Redde perennantem Sol ſine labe diem.

De Circumciſione Domini.

CVM Venus impuro temeraret ſanguine terram,
Fertur, candentes erubuiſſe roſas.
Spargitur imbre ſacro tellus, ponitque ruborem,
Fætaque diuino ſanguine candet humus.
Nàm roſa tartarei rubicunda eſt teſſera amoris;
Teſſera diuini lilium amoris erit.

ANTONIVS ARMANDVS
AVTHORIS AVDITOR
Inter cucullatos D. Franciſci adſcribitur

QVò properas Armande? Pedem conſiſte; parentum
Semianimum paucis te pia turba volunt.
Hinc pater amplexus, hinc porrigit oſcula mater:
Spernis? nec lacrymis lumina dura rigas?
Reſpondes, video diuinum ante ora parentem;
Hoc vocor, hoc vno me præeunte ſequor.
Verbaque nil curo genitorum dulcia; Quippè
Quò plus mellis habent, plus feritatis habent.

In idem argumentum.

QVò ruis Antoni? deſiſte audacibus auſis.
Non hæc conueniunt munera tanta tibi:
Cernis ab auratò curru Phaetonta cadentem?
Fluminaque Icario nobilitata rogo?
Hæc te Armande manent. Aſperrima clauſtra ſubire
Dulce putas, laqueo queis reuocandus eris.
At video ſummum præeuntem ad clauſtra Tonantem.
I, fælix; eadem ſors & vtrique manet.

AD VINCENTIVM CARAFFAM,

Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem.

IAMBICVM.

CARAFFA, tellus obſecrat, Polus iubet,
Vterque habenas porrigens Cætus ſacri
IGNATIANÆ ſedis; hoc ceruix onus
Subeat precantur. Erige ad frænos manus.
Terram precari nouimus ſuffragijs
Superantibus; Te Præſidem Cælum Gregis
Optaſſe IESV, comprobat diuinitùs
Iniecta cunctis ſancta conſpiratio.
Fautore vtroque gaudeas; nàmque indicant
Prudentiam Terra, Aſtra ſanctimoniam.

Ad eundem.

IAMBVS PVRVS.

DEdere dena quinquies Patres Tibi
CARAFFA vota; Cælites tamen priùs,
Tonante ſic iubente, mille millia
Diebus vſquè termino carentibus
Dediſſe, ſanctitas probat ſatis tua.

CHRISTI TRIVMPHALIS
in Cælum ingreſſus.

SYdera ſol repetit, geminant quoque ſydera plauſus;
Geſtit in occurſum curia Cælicolum.
Obſequioſa omnes venientem voce ſalutant
Victorem, Regem, Numinis vnigenam.
Miraris? tumidos qui fregerat impiger aſtus,
Debitus huic ſupera ex arce triumphus erat.

Ad eundem Chriſtum triumphantem.

SAt rubuit præiens diuino aurora cruore;
Redde perennantem Sol ſine labe diem.

De Circumciſione Domini.

QVM Venus impuro temeraret ſanguine terram,
Fertur, candentes erubuiſſe roſas.
Spargitur imbre ſacro tellus, ponitque ruborem,
Fætaque diuino ſanguine candet humus.
Nàm roſa tartarei rubicunda eſt teſſeta amoris;
Teſſera diuini lilium amoris erit.

ANTONIVS ARMANDVS
AVTHORIS AVDITOR
Inter cucullatos D. Franciſci adſcribitur

QVò properas Armande? Pedem conſiſte; parentum
Semianimum paucis te pia turba volunt.
Hinc pater amplexus, hinc porrigit oſcula mater:
Spernis? nec lacrymis lumina dura rigas?
Reſpondes, video diuinum ante ora parentem;
Hoc vocor, hoc vno me præeunte ſequor.
Verbaque nil curo genitorum dulcia; Quippè
Quò plus mellis habent, plus feritatis habent.

In idem argumentum.

QVò ruis Antoni? deſiſte audacibus auſis.
Non hæc conueniunt munera tanta tibi:
Cernis ab auratò curru Phaetonta cadentem?
Fluminaque Icario nobilitata rogo?
Hæc te Armande manent. Aſperrima clauſtra ſubire
Dulce putas, laqueo queis reuocandus eris.
At video ſummum præeuntem àd clauſtra Tonantem.
I, fælix; eadem ſors & vtrique manet.

In

In idem argumentum.

C Olla iugo demitte tua ò Armande grauanti;
Nam Deus ipſe tibi ſponte iugalis erit.

Stella ad Magos.

HVC oculos, Reges; en adſum nuncia Solis,
Fatidico quondam nuncia viſa Seni.
Eià agite occiduas mecum contendite in oras;
Iàm nouus occiduo naſcitur Orbe dies.

Magi ab Oriente venerunt.

IAMBICVM.

QVis hùc vocatós altera ab Solis domo
Properante REGES duxit in ſpecum gradu?
Quis hùc coegit Sydera, vt miſſo Polo,
Solum frequentent, & pedes PVERI ambiant,
Et vagientem ſupplice ſalutent genu?
Vis ſcire quis coegerit? VERBVM DEI.

IN D. FRANCISCVM ASISIATEM.

EPIGRAMMA.

PRæſtet FRANCISCO obſequiũ pia turba Canentum
Carminibus; tandèm hæc labra tributa ferunt.
Tu mea Muſa modis melioribus vtere; factis
Facta liga; & Diuo carmina cordis habes.

In idem argumentum.

Sancti celebrantur, non verbis, ſed operibus.

MVſa ſile; ſuperæ vos iuſſa ſilentia linguæ
Frangite cordato murmure Pierides.
Flagra parent calamos; lachrymæ atramẽta miniſtrent,
Aptaque diuinùs verba miniſtret Amor.
His tamen haud tumeant conſcripta volumina faſtu;
Membranas potiùs cordis inauret Amor.
Scilicèt & factis loquimur; Diuinus Apollo
His docet in ſacros corda ligare modos.

FINIS.

POLYMNIA
SACRA, ET PROPHANA

In triumphum virtutum immortalium

Eminentiſsimi Principis

IOANNIS DE LVGO

Obſequentiſsimis fidibus

DISCORDANTIVM APOLLINIS,

Ad omnigenos poeticæ varietatis numeros excitata.

Digitized by Google

CARMINVM SYLLABVS

Quæ in Cardinalis de Lugo obſequium Romana cecinit Polymnia

Doctoris D. Petri de Comitibus.

EPitalamium Alexandro Turriano de Taſsis, Poema.

Ad Cardinalem Ioannem De Lugo ſub anni exordium dictum muricem recipientem. Epigramma.

Ad eundem creatum Cardinalem cum Cardinali Achille d'Eſtampes de Valencè Gallo. Epigramma.

B. Aloyſius Gonzaga calcariatilibus admonet, Epigramma.

Idem ſcripta ſtudiorum tradit moderatori, Epigramma.

Aliud. Aliud. Aliud. Aliud. Aliud. Aliud.

B. Aloyſius non currit, ſed volat ad Deum, Epigramma.

In idem argumentum.

Aliud in idem argumentum.

In Votorum inſtaurationem, iuxtà morem Societatis, Epigramma.

Ad N. N. vt contemptis Conſanguineorum experimentis, Ieſu Societatem ingrediatur, Epigramma.

Aſinus ad Præſepe Chriſti Domini, Epigramma.

Bos ad eiuſdem Præſepe, Epigramma.

Sacræ deliciæ N. N. *Authoris Diſcipuli, qui Ieſu Societatem animo præconceptam identidem ſomniabat. Deſcribit domum Probationis Romanam in Monte Quirinali, Elegia.*

Qui religionis voto ſacramentum dicit, nil habet quò ſe Deo liget magis, Epigramma.

Vitalia vulnera D. Catharinæ Senenſis, Epigramma.

Lachryma atterendo cor vulneribus ſanat, Epigramma.

Euchariſtia facit immortalem, Epigramma.

Euchariſtia quodammodo deificat, Epigramma.

Aliud in idem argumentum.

De Circumciſione Chriſti Domini, Epigramma.

D. Carolus orando aſſurgit è terra, Epigramma.

Religioſus Vates, non vocibus, at Votis carmen pangit obſequioſum Deo, Epigramma.

Aliud, in idem argumentum.

Emi-

Eminentiſsimo, atque Reuerendiſsimo Principi

IOANNI DE LVGO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

D. Petrus de Comitibus Romanus

fauſtitatem.

FESTINAVERAM, PRINCEPS EMINENTISS. alterum ex meis philoſophicis Tuo nomini mihi ęſtimatiſsimo nuncupare volumen. Sed quoniam obligationum neceſsitas, quas Tibi ingentes profiteor, ob tot, ac tanta mihi collata omnis generis beneficia, ſtare loco neſcit, diuturnitatis impatiens, arripio ex poeticis occaſionem, TVAM purpuram conſalutandi. TIBI igitùr conſecro Epitalamium dictum ALEXANDRO TVRRIANO DE TASSIS Epiſcopo Tarracinenſi, cum primùm in ſponſam duceret SE-

TI-

TINAM VRBEM, eamque ingenti cum Ciuium plauſu, & apparatu ingrederetur. Agnoſce in paruo munere obſequij magnitudinem, quo TE proſequor. Et ſicùt elapſis retrò temporibus immerentem fouere beneficijs non recuſaſti; ita nec dedigneris, me Tuum iam factum obſequia rependentem, hilari vultu excipere, & animare. Vale.



EPI-

EPITALAMIVM

ALEXANDRO TVRRIANO

DE TASSIS

SETINAE VRBIS EPISCOPO

Cùm primùm illam triumphali pompa ingrederetur.

CARMEN EPICVM.

PROLVSIO.

Poſt obitum Cæſaris Ventimilij per proſopopœiam inducitur Setina Ciuitas mæſta, quæ ad Vfentis ſui fluminis ripas cogitabunda deſcendat. Cum eccè tibi, dum laſſa animo ad Cælum intenta lacrymis, & ſuſpirijs vacat, dulci correpta ſomno, ſub arbore cubat. Hic adſtat ei in ſomnis S. Lidanus Vrbis patronus, à quo certior fit, ſuum ſacrum Sponſum futurum Alexandrum Turrianum De Taſsis, qui tunc quidèm Anxure ſupèr flumine aduentabat. His vocibus excita, procùl abactis gemitibus, venientem brachijs excipit, ſacrumque coniugium, Aligeris plaudentibus, celebratur.

EVENERE: ſacros tandèm det SETIA plauſus;
Et mons, qui toto iam ſuprà vertice Cælum eſt,
Inclinetur, ALEXANDRVM excæpturus ouantem.
Traximus ad ſacri Heroem moderamina regni,
Cui dederunt æquaſſe iubar ſtellantis Olympi
Sydera virtutum radijs; Superumque Senatus
Inter ALEXANDROS venerabile nomen adorat.
Argue nunc diros Superos, ſi dona rependunt
Aurea, ſucceditque recens felicior ætas,
Et prò Cæſaribus concedunt ſydera Numen.
O fortunatos nimiùm, nimiùmque beatos,
Queis TASSVM fata indulſere, & pronus Olympus

L   Aurea

Digitized by Google

Aurea pacato demittit ſęcula vultu.
Voluite conuerſo iàm mellea munera fluctu,
Quotquot ad VFENTIS placidi vada curritis amnes.
Ampliùs haud lymphis ſubiectas Anxuris oras
Lambite arenoſis; ſed ferte liquoribus aurum,
Quà ſacra circùm tellus ditione tenetur
Grandis ALEXANDRI Setinæ Præſulis Vrbis.
Sed quæ fatorum ſeries, ſorteſque beatæ
E Vaticano meliores vertice TAXOS
Herculeo traxere iugo, & TIBI clara dederunt
SETIA, cæleſtes vos carmine pandite Muſæ.
Vos, quas æthereos Soles, & lumina ſumma
Cura tenet celebrare, hymenæos dicite ſacros;
Atque immortali radio vaga ſydera plaudant.
Poſtquàm ſydereas ſenio confectus in oras
CÆSAR abit, Setinæ olim ſacer arbiter Vrbis
Ventimilus, Triados referans Oracla Senatus.
VRBS SETINA ſuo Paſtore orbata, trahebat
Et ſine Sole dies, pariter ſine ſidere noctes.
Ecce autèm accliuis deſcendens auia collis,
Quà caput attollunt ſub nomine priſca recenti
Tecta, viatori ſtatio haud ingrata, furentes
Cum vomit oblatrans maleſana canicula flammas;
Littora piſcoſi fęcunda nitentibus vndis
VFENTIS petit. Hìc fluctu ſtimulata ſonanti
SETIA mæſta, ſuum cantu eſt ſolata dolorem.
O mihi ſi liceat clauum, ſacramque tiaram
Tradere commiſſæ Gentis, populique fidelis
Subiecti, longo virtutibus ordine claro,
Conſpicuoque Viro maiorum ſanguine, quanto
Lætius, heu poſthàc fulgerent ſydere noctes!
Annue diuinus triplici moderator in Orbe.
Annue; promiſſumque Virum, ſummumq; Tonantis
Mitte Sacerdotem, quà colle veterrima ſurgo
SETIA, Pontinæ imperio ſat nota paludis.
His excitus adeſt nigra è regione, ſoporum
Rex, imoque pigros, Vmbris comitantibus, artus
Extulit è Fluuio; nàmque his contermina regna
Somnus habet, viſaque oculis ſtillantibus Vrbe
Setina, hæc rabido iaculatur pectore verba.

Quæ noſtris triſtes miſcere ſoporibus audes
Importuna ſonos, & perturbare quietem?
Ingenium vigilans Morphei experieris, & artem
Æternos quæcunque audes abrumpere ſomnos.
Moxque papaueribus, varijſque potentibus herbis
Imperat ad ſeſe medicamina ferrier Vmbris.
Hiſque improuiſo ſaltu nil tale verentis
Lumina Matronæ ſpargit lachrymantia Morpheus
SETIÆ, & obſcura tacitus caligine preſſit.
Nec mora: multiplici apparent viſenda figura
Somnia, & alliciunt læta ad ſpectacula mentem.
Namque humero excuſſis triſtes nigrantibus armis
Amouere ſibi vultus pallentis Auerni,
Inque nouos abiere comæ, frontiſque nitores.
Mox Laruarum aliæ dextris inducere frondes
Incipiunt, truncoque manent, quas aere littus
Saltantes vidit; vacuo pars aera tranat
Remigio alarum; pars transformata pererrat
Bellua nemus, neque dira timet venabula ferro.
Et quod limoſa ſquallebat littus arena
Sylua viret, vaſtoque iacet venerandus in antro
LIDANVS incumbens lapidi, cui ſeria mentem
Cura coquit, vultum cui turbat amabilis ira.
Proh quantum micat ore iubar! proh quanta renidet
Maieſtas, lateat quamuis Paſtoris ab ore!
I, nunc & Solem iacta periiſſe ſub vmbra,
Cum ſuperinducto cælat velamine frontem.
Scilicèt obiectu grauidata nitoribus ardet
Nubes, quæ nitidum ficto vallabat amictu
Vultum; nàm geminant, non tollunt nubila Phæbum.
Aduentum Diui frondes ſenſere virentes
Vmbroſi nemoris, plauſumque dedere volucres.
Tùm quæ crinito ſyluis modulatur opacis
Ales amica Deo Cycnus, ſuper innuba Daphnes
Brachia carminibus latè ſic aera mulcet.
LIDANE Setinæ Protector maxime Collis,
Quem Latium, quem Volſca cohors, quem terra veretur
Parthenopæa, colunt Samnites, vaſtaque circùm
Vtraque Campanis perarata ligonibus arua,
Aureaque irrigui Vfentis cui flumina plaudunt;

Salue immortali nunquàm caritur e triumpho.
Mitte ſacras Zephirum in frondes, truncoq; loquaci
Exprime quo Tua mens irarum fluctuet æſtu.
Scilicèt haud Tua frons riſum explicat immortalem,
Lumina quo æterno poterant mortalia viſu
Vere frui, apparetque nouo turbata nigrore.
At noſco irarum cauſam, cognoſco doloris.
Qui Superi imperio radiantia ſydera, & orbes
Æthereos certo ſoliti ſunt vertere nutu,
Haud ſpernunt telluris opes. Huic aſtra coruſcant,
Et ſemper vario voluuntur ſæcula giro.
Dij ſeruant armenta boum: Dij flumina ſeruant:
Dij riſu ſpargunt campos, ſyluaſque comanti
Fronde tegunt, varijſque obducunt floribus arua.
Numina ſunt fluuijs: ſunt Numina fontibus: errant
Dijq; Deæq; per antra boum: iuga ſumma ſerenant
Agmina Cælicolum: per inhoſpita littora Ponti:
Perque pruinoſas demiſſis vallibus vmbras,
Aurea diuini apparent veſtigia greſſus.
Nullaque planta viret diuino haud Numine feta.
Sic Veneri mirtus ſacra eſt, oleaque Mineruæ
Gaudet, & Herculeo ſeruantur Numine Quercus,
Laurus Apollineo. Sed non Tua Numina ſyluæ,
LIDANVS, in plantis coluere; neque alta vireſcit
Populus, aut humiles creſcunt, Te auctore, myricæ.
En Tibi ſylua ſuos ſacrat obſequioſa receſſus,
Omneſque exultant Tua tollere Numina plantæ.
Selige, DIVE, Tibi quæ fortunata vireſcat
Numine ſacra Tuo. Seu mauis ſydera tangat
Vertice; ſeu lata foliorum indagine campum
Compleat; aut validos truncorum robore ventos
Prouocet; aut dulci pomorum grata reſultet
Autumno; quæcumque placet, cape LIDANE plantam.
Dixit, & vnanimi plauſu cecinere volucres
Ætheræ, Diuuſque ſerenato annuit ore.
Aduolat intereà ſpatioſa per æquora circùm
Alituum numeroſa cohors, cui pendula labris
Roſcida mella cadunt, feruentque examine campi.
Inſtar adorantum ſacris dant oſcula plantis,
Aereoque magiſterio diuina colorant

Veſtimenta, quibus ceu ſydera mella coruſcant
Impreſſa. Agnouit Diuus pia munera, & ipſas,
Quæ ſibi iam puero circumluſere volucres,
Atque ſenectutem fouere ſub amne paluſtri,
Cum magis Aligero ſimilis traduceret annos.
Ite, ait, ò dilecta mihi quater agmina ab annis
Primis, cum teneram fouiſtis melle iuuentam,
Atque ſenectutem recreaſtis melle cadentem;
Ite, mihi aereis ſacrate liquoribus altam
Quondàm tabifica metuendam cortice TAXVM.
Semper erit fatis illa meo ſub Numine tuta,
Aureaque æthereo ſtillabunt ſydera rore.
Vt queat abiectis purgata fronde venenis,
Haurire ex imis dulces radicibus vndas.
Innocuos fabricate fauos, & cerea truncis
Tecta ſupèr; neque enim priſcos ſeruabit amores.
Haud illi poſthàc aconita virentia frondem
Inficient, nec bacca dabit guſtata venenum.
Melle redundabunt ventura in ſæcula ſucci,
TAXIQVE innocua poterunt armenta ſub vmbra
Meridie æſtiuos lætos traducere Soles.
Vix ea, cum tacito circum plaudentibus auris,
Murmure, melliſluus Populus, famulique, Ducesque
Aſſenſere omnes, Diui tum iuſſa faceſſunt.
Nec mora: vicinam denſa teſtudine TAXVM
Circumdant, trunciſque omnes fabricare labore
Tecta nouo certant, imaſque replere medullas
Melle ſuperfuſo, in rimas abeunte capaces
Cortice. Permixtus radicibus aureus humor
Mellis, abit partes, intùſque foriſque per omnes
Arboreas, totamque implet dulcedine plantam.
Inde ſalutiferas vel peſte nocentior olim,
Inter Idumæas plantas numeranda ſuperbit
Circumquàque aureis TAXVS ditiſſima baccis.
Eccè autèm dùm feruet opus, Regina volantum
Turris ab aduerſo feſtina cacumine greſſum
Dirigit hùc, viſiſque notis diuinitùs, ore
Obſequium præſtat Diuo. Tùm voce ſalutat
Primores Apium, medias, gentemque minutam,
Inuitatque omnes (ſic namq; his LIDANVS inſtat)

Vici-

Vicinam ad ſyluam, Taxis quæ plurima ſurgit,
Circumferre fauos, & mella infundere truncis.
Omnibus infudere liquentia munera Taxis,
Melleaque inſpirant diffuſis viſcera ramis;
Vt nulla iàm parte ſui non nobile ſurgat
Mellis opus. Frondes dulceſcunt melle, ſaporem
Mellis habet cortex, ipſa eſt mellita medulla,
Nec niſi mellitum Taxi in radice repertum eſt.
Melleus hinc riuus: mellita flumina ſurgunt,
Ipſeque proſpectans Taxos fit melleus aer.
Non longè vmbriferi ſupèr alto vertice collis,
Dùm vertunt oculos (dictu mirabile) viſum eſt
Florere innumeros peregrina in ſerta redactos
Flores, queis radiant Superis viridaria Cæli.
Inſolito, his viſis latè plauſere volucres
Murmure, certatimque apicem cinxere corona,
Et ſua decerpunt radiantia ſerta labellis,
Vt quæcunque ſibi commiſsam cælitùs ornet
Melle redundantem immortali ſtemmate Taxum.
LIDANVS intereà detecta fronte, nitores
Sydereos aperit, tractuſque indutus Olympi
Exuit humanam, demiſſa veſte, figuram,
Totuſque apparet cæleſti ab imagine Numen.
Fundit ab ore iubar, qualis rediuiua, ſubacta
Nocte, ex occiduis renouata nitoribus oris
Solis inardeſcit matino tempore lampas.
Diuino beat aſpectu, exhilarata reſultant
Pectora maieſtate, & ſpirat amabile Numen:
Terga tument alis: gemmanti ſura cothurno
Vtraque monſtrat iter: fulgent pretioſa tiaris
Tempora purpureis: ſacra dextera nobile geſtat
Paſtorale pedum: grauat vrna adamantina læuam
Ingenti ſimilis docta phrygia arte caniſtro
Aligerum fabricata manu, cui mille coruſcant
Pendula ſerta, miniſterio diſpoſta ſuperno.
Inceſſu graditur Diuus venerabili, & ore.
Extemplò patuere Poli proſcænia, & ingens
Turba volat. Pars flore viam proſternere multo:
Pars Diuum exonerare vrna: pars cingere frontem
Deſupèr alta roſis: pars è ceruice ſmaragdis

Ad talos vſque exornare licentiùs artus,
Pars cantu mulcere auras: pars indice dextra
Monſtrat iter: præeunt illi: comitantur euntem
Hinc alij: numeroſa cohors veſtigia ſeruat.
Vt ventum eſt, vbi ſylua viret, luſtralibus vndis
LIDANVS auguſtæ Triados ter nomine Taxos
Signat, & auratis præcingier ordine cunctas
Imperat Aligeris, quos geſtat floribus vrna.
Dùmq; operi incumbunt, roſeo tunc LIDANVS ore
Saluete ò ſoboles TAXORVM nobilis, inquit,
SETINI ornamenta iugi, vos peſtifer aer
Tangere formidet; vos coniurata gubernent
Mixta elementa, ſuiſque nec obſit iuribus annus.
Creſcite, & æternùm vireant ſuper arbore frondes,
Vt quiſquis veſtra requieſcat tutus in vmbra.
Æternùmque mei vt ſeruetis pignus amoris,
Accipite has roſeas, quas vobis ſacro coronas.
Laurigerumque ſenectutis baculum accipite iſtum
Fulcimenta meæ, qui membra cadentia fulſit,
Et nihil ex ſyluis lateri mihi gratius hæſit,
Dùm mea fatali pendebant ſtamina Clotho.
Dixit, & arboribus baculum, quem dextra Puelli
Ætherei portabat ouans, ſuſpendit amicis;
Corticibuſque notis varijs ſua nomina finxit,
Creſceret vt fauſtis etiam ſua gloria TAXIS.
Hæc propè candenteſq; Vfentis SETIA lymphas
Vidit fatidicis laxata ſoporibus artus,
Donèc iucundi reuocata ab imagine ſomni,
Haud ficto excæpit venientes Anxure TAXOS
Nomine, ALEXANDRO exultans ſub Præſule TASSO.

Ad Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimum D.

IOANNEM DE LVGO

Sub anni exordium creatum Cardinalem.

EPIGRAMMA.

EVFRATIS dùm iactat opes, & ſpernit arenas
Niliacas Bethlem, ſanguine fæta Dei.
Largifluos Cælum ſacri TIBI muricis imbres
Fundit, & VRBANO ſpargeris imbre caput:
Scilicèt epoto inuiſos Phlegetonte maniplos
Vt perdas, Agni ſanguine obarmat amor.
Sanguine obarmat amor; namque ipſo adamante rigeſcunt
Corda magìs, quæ non relligione calent.
Ergò age, & hæreſeos pete peſte nocentius ipſa
Virus, doctrinæ robore, fronte, manu.
Non LOYOLÆOS imbellem purpura pacem;
Horrida bella docet, bella cruenta docet.
Sic BELLARMINVM rapuere ad prælia faſces
Prælia tartareo ſollicitanda Duci.
Hunc animo impreſſum ſemper ſeruare memento.
TE BELLARMINI grandia facta decent.

AD EVNDEM

Factum Cardinalem ſimùl cum Achille d'Eſtampes Card. de Valencè Gallo.

EPIGRAMMA.

NAſceris Hiſpanus Gallo Germanus in oſtro;
Fraterno vt iungas fœdere vtrumque ſolum.

B.ALOY-

B. ALOYSIVS GONZAGA
Calcaria ilibus adhibet.

EPIGRAMMA.

QVid tua ſanguineis calcaribus ilia pulſas
GONZAGA, & teneris artubus arma rotas?
Quadrupedi non ſæuit eques pia iuſsa verenti;
Non opus alipedi eſt ſubdere calcar equo.
Iàm tua multiplici rorantia cuſpide membra
Sponte ſua properant mentis ad imperium.
At fallor: compone tibi calcaria; calcar
Nàmque humeris fiet penna beata tuis.
Ampliùs haud curres, aſt alitis inſtar, Amoris
Remigio alarum, penniger aſtra petes.

Idem ſcripta ſtudiorum tradit moderatori.

QVàm benè mortali conſcripta volumina penna
Abijcis, æternis erudiende Puer!

Aliud.

MIraris cur ſcripta Puer ſua nolit? Amoris
Inter Academicos enumerandus erat.

Aliud.

QVidquid mortale eſt ſpernis GONZAGA, Deoque
Mortales inter, deſipis vt ſapias.

Aliud.

NIL curas cuicunque ſapit ſapientia Mundi;
Omnia nàm ſolùm deſipiendo ſapis.

Digitized by Google

Aliud.

VT SE pileolo Doctoris Olympus honoret;
Doctrinam hoc actu, Præſide Amore, probat.

Aliud.

HAud ſcripta, at ſcribenda probat; nàm doctor Amoris
Non eſt qui ſcribit plurima, ſed peragens.

B. ALOYSIVS GONZAGA
Non currit, ſed volat ad Deum.

EPIGRAMMA.

CVrſibus indomitus ſonipes haud prouocat euros,
Ilia ſanguineis ni rubuere notis.
Tantus amor palmę; properantem ad ſydera pluſquàm
Crure gygántæo, ſe ferus extimulat.
Barbarus innocuè dentata cuſpide calcar
Armatum teneris ilibus vngue rotat.
Perge PVER, curſum velociùs arripe. Paruum
Reſtat iter, cunctos vt ſuperes Superos.

In idem argumentum.

NON curris GONZAGA, volas calcaribus actus.
Perge, vt ſuprema parte Poli recubes.

In idem.

QVandoquidèm, GONZAGA Deo Tu proximus erras;
Numini eris cunctis proximiore loco.

In

IN VOTORVM INSTAVRATIONEM
Iuxtà morem Societatis.

MVſa vale; Superæ vos iuſſa ſilentia linguæ
Rumpite cordato murmure Pierides.
Flagra parent calamos; lacrymę atramenta miniſtrent,
Aptaque Diuinus verba refundat Amor.
His tamèn haud tumeant conſcripta volumina faſtu.
Membranas potiùs cordis inauret Amor.
Vota dabunt numeros. His tu Diuinus Apollo,
Noſtra doce Chriſto pangere corda melos.

A D N. N.
Vt contemptis omnibus Conſanguineorum experimentis, Ieſu Societatem ingrediatur.

SIccinè mancipio ſimilem crudelibus antris
Te conſanguinei dextera ſæua dedit?
Aſſiduò horrificis cruciaris terga flagellis,
Iurgiaque, & probra, & ſcommata mille ſubis?
Sanguineos hùc vſque æſtus exercuit ira,
Ira nouercali ſollicitata modo.
Nunc iras attende nouas: noua bella ſuperſunt
In LOYOLÆIS inſtituenda plagis.
I, fælix pugna; aduerſantes temne cateruas;
Nàm LOYOLA tibi, Xaueriuſque aderunt.
Hic inimicorum dextras frænabit, & aſtus;
Ille acuet ſocias ad pia bella manus.
Sic Patrui ſpernes queſtuſque, minaſque, tuoſque
Edomita ante pedes bella cruenta cadent.
TEQVE triumphantem capitolia ſumma Tonantis
Excipient, victis, Carne, Parente, Styge.

Aſinus ad Præſepe
CHRISTI DOMINI

FOrtunate RVDENS, inter genus omne rudentum
 Fælix, cui ſocium contigit eſſe Dei.
Næ tu Pegaſeis velocior ibis ad aſtra
 Niſibus, vt ſumma digniùs arce mices.
Quin Leo ſydereum cedet Tibi flammeus orbem,
 Vt propiùs niteas ſtella beata Deo.

Bos ad eiuſdem Præſepe.

TE quoquè cornigeras inter BOS inclite turmas
 Haud illaudatum præteriiſſe iuuat.
Namquè rigeſcenti Puero inter ſpicula, ſolus
 Præſidium es cornu, & flamine delicium.

SACRÆ DELICIÆ N. N.

Authoris diſcipuli, qui Ieſu Societatem animo præconceptam identidem ſomniabat.

Deſcribit Domum probationis Romanam in Monte Quirinali.

QVA mons fronte minax propiùs videt aſtra Quirinus,
 Horridaque vmbrifero nubila crine tegit;
LOYOLÆA DOMVS Cælo gratiſſima ſurgit,
 Quæ parua ſuperat mole Neronis opus.
Interiore loco, varijs viridaria plantis
 Florentes pandunt ambitioſa comas.
Cedrina ibi pubes; ibi turba cupreſſina regnat;
 Atque agitat choreas veris odora cohors.
O quot ibi apparent pictæ telluris honores!
 O quot ibi herbarum lumina pura nitent!
Candida caltha riget vallata rubentibus aſtris,
 Thymbra ſolum ſpargit, luteolique croci.
Ignibus attalicis longè, latèque refulgent
 Coniunctæ violis, liliolíſque roſæ.

Mane ſalutantes volucres ſub fronde ſuſurrant,
  Soluuntque in laudes ora canora nouas.
Hìc procùl à curis dulci cum frigore ſemper
  Ventilat aura leuis delitioſa nemus.
Hic vitreo de fonte fluens argentea ſerpit
  Lympha, & inundat humi luxuriantis opes.
Pegaſei fontes procùl hinc, procùl eſte; ſonora
  Hæc mihi prò lympha Caſtalia vnda fluet.
Sæpe Quirinali viderunt monte vagantem
  Me Pyrois, Æthon, flammiuomuſque Phlegon.
Lucifer ipſe videt, madidiſque Aurora capillis,
  Lætantem per eas ire, redire vias.
At dùm fælices ſpirabam ſedulus auras
  Ad curas reuocor, ſollicitante ſono.
Heu quid agam? varijs curarum fluctibus erro;
  Has oras nimiùm deſeruiſse graue eſt.
Sed maiora vocant; tecto do terga beato.
  Et dixit tenui murmure lingua, vale.
Poſtera iàm medium nox alta aſcenderat orbem,
  Cum grauis irrepſit membra grauata ſopor.
Templa Damaſceno fulgebant culta paratu;
  Ipſe ſacræ videor tecta ſubire domus.
Vndique fundebant funalia prodiga lucem,
  Aureaque in medio pegmate lampas erat.
Candelabra tholo niueis gemmantia ceris
  Reddebant geminum, nocte querente, diem.
LOYOLEORVM ſimulacra argentea Diuùm
  Imo ſeruabant oſſa verenda ſinu.
Deſuper excæptis Zephiris è folle, dedere
  Organa multiplices ingenioſa ſonos.
Perſonuere tubis, expergefactaque docto
  Aduerſo inſonuit pollice tacta fides.
Inde repentinæ concors diſcordia vocis
  Intonuit dulci carmine dulce melos.
Hùc ades ò N. N. fallacem deſere mundum,
  Te, puer, hæc olim tecta beata manent.
Vix ea, cum turbam varia ſub imagine vidi;
  Candidus aſpectus, candida veſtis erat.
Paruulus in medio rubicunda in ſede ſedebat,
  Geſtabatque alba florida ſerta manu.

Hoc

Hic tidens ad me radiantia lumina torſit,
 Dixit & exiguo talia verba ſono.
Non hylarem vultum, frontem non noſcis amicam?
 Sum tuus N. N. ſum comes ille tuus.
Quid piger expectas? tandèm excute lumine ſomnum;
 Aurora aduentat lucida, ſurge toro.
Quando erit illa dies, qua LOYOLÆA ſequaris
 Signa? Igitur dextram pignus amoris habe.
Accipe ſtellato contexta monilia flore,
 Hæc Te victorem munera digna manent.
Tunc ego dùm ſtrato protendere brachia conor,
 Euanuere oculis dextra, corona, ſopor.

Qui Religionis voto Sacramentum dicit, nil habet quo ſe Deo liget magis.

EPIGRAMMA.

ACcipe, redde, voue iuſsere Oracula quondàm.
 Accepi, fateor, plurima; reddo parum.
Vt voueam ſupereſt, nè dando plurima nugis
 Dextra, Deo ſoli debita dona neget.
Vota fero, ſupplexque Dei cado pronus ad aras:
 Nil igitur ſupereſt. Victima tota cadit.

Vitalia vulnera D. CATHARINÆ SENENSIS.

VVlnera quæ ferrum facit, exitialia læthi
 Oſtia ſunt, animam queis Libithina rapit.
Sed tua, SENENSIS, meliorem vulnera vitam
 Reddunt; nempè tibi hæc vulnera fecit Amor.

Lachry-

Lachryma atterendo cor, vulneribus ſanat.

O Quæ mortali præbet ſpectacula mundo
Diuus Amor! Vulnus vulnere ſanat Amor.
Vulnerat immiſſo per aperta foramina ferro
Hoſtis, & irriguo membra cruore rigat,
Alta cicatricem retinent extincta, ſupràque
Æternùm inficiunt ſaucia membra cutem.
At diuinus Amor præcordia vulnere ſanat,
Vulnere, quo pectus lachryma ſola ferit.

Euchariſtia facit immortalem.

EPIGRAMMA.

Fingitur, ambroſia carpſiſſe alimenta, perennem
Qua potuit tot iam viuere ſecla Iouem.
Ergò immortalem faciet, cui fercula tectum
Syrmate mortali ſe dedit Omnipotens.

Euchariſtia quodammodò Deificat.

EPIGRAMMA.

Qvicunque ambroſiam poterat guſtare, Tonantis
Ille probabatur digna Deo ſoboles.
Scilicèt hæc hominum didicere alimenta palatum
Inficere, & ſolis pabula ferre Deis.
Iure igitur paſtos diuino ſanguine, Diuos
Dixeris, ambroſia quos meliore probas.

Aliud.

VT faceret Patri ſimiles, ſe vertit IESVS
In nutrimentum, quo Deus extet homo.
Vtra putes maiora? Deus ſe in pabula præbet;
Et diuina hominem reddidit eſca Deum?

De Circumciſione Domini.

PAruulus in ſtipulis proles æquæua Tonanti
Factus Amor, fuſo ſanguine tingit humum.
Neſcis? Diuino tellurem purpurat oſtro,
Vt tua regali murice terga micent.

D. CAROLVS
Orando aſſurgit è terra.

IS, per Olimpiacos ſanctiſſime Carole tractus,
Aligero toties vectus amore Dei.
I, nec ab audacis Phaetontis tramite lapſum
Formides; fato nàm meliore volas.
Haud ille implebat ſolita grauitate iugales,
Qua ſola aereum continuere gradum.
Te diuina grauem maieſtas Numinis implet,
Et facit æterno cum genitore parem.
Ille rotas preſſit ſine patre Hyperione currus;
Tu lora æterno Sole regente, regis.
Ille cadit ſcandens contermina regna Tonanti,
Tu magis aſſurges, quò magis alta petes.

Religioſus Vates non vocibus, at votis carmen pangit obſequioſum Deo.

QVÆ noua ſydereus reſerat proſcænia Mundus?
Innumeris video verba ligata modis!
Scilicèt vt ſoluant ſummo obſequioſa tributum
Labra Deo, numeris compoſuere ſonos.
Vix placuere Deo tamen hæc pia munera vocum;
Vt placeas, votis corda ligata cadant.

Aliud.

VIS ſcire vtra Deo placeant magè carmina? *Diſce*
An facta officijs poſthabuiſſe velis?

FINIS.

MELPOMENE

SACRA, ET PROPHANA

Sub auſpicijs

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI

D. IACOBI NINII

DISCORDANTIVM APOLLINEM

Prouocat ad canendum.

Digitized by Google

CARMINVM SYLLABVS

Quæ in tanti Præſulis obſequium Romana panxit Melpomene.

Doctoris D. Petri de Comitibus.

EPinicium D.Catharinæ Senenſi, Poema.
S.Catharina Senenſis coronam ſpineam roſis præfert, Epigramma.
In Poeſim, dolet Author, ſe Muſarum cantilenis è contemplatricibus abſtra-ctum, Elegia.
Paraphraſis in Ouidij Chaos.
S. Simphoroſa in flumen proijcitur, Epigramma.
Eadem ſaxo ad collum ſuſpenſò, datur in præceps, Epigramma.
De luce in terris viſa, naſcente Chriſto Domino, Epigramma.
In idem argumentum, cum alluſione ad illud, & in terra pax, *Epigramma.*
In idem argumentum, Epigramma.
In idem argumentum, Epigramma.
In idem argumentum, Epigramma.
Diui Ioſeph mors feliciſſima, Epigramma.
Aliud. Aliud. Aliud. Aliud. Aliud.
S. Philippus Nereus ob incendium Diuini Amoris coſtas relaxat, Epigramma.
Aliud. Aliud. Aliud.
Alexandri, & Cæſaris buſtum terrorem latè prætereuntibus incutit, Epigr.
Aliud, in idem argumentum.
Aliud, in idem argumentum.
Aliud, in idem argumentum.
In Fauoritum omnium loquaciſsimum aliena carmina eructantem, Epigr.
Sacra ſtigmata D.Franciſci, Epigramma.
Eloquentiæ vis, Epigramma.
S. Bruno Carthuſianorum fundator, Epigramma.
Aliud in idem argumentum.

Illu-

Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D.

IACOBO NINIO

SS. D. N. ALEXANDRI Papæ VII. Cubiculi Præfecto.

D. Petrus de Comitibus Romanus

fauſtitatem.

SI quandò, Illuſtriſſime, atque Reuerendiſſime Præſul, priſca tempora licuit ad votum reuocare, nunc enimuerò liceat mihi feliciſſimam illam verè auream cupere tempeſtatem, quandò quattuor ab hinc luſtris, in præclara Senarum Vrbe, Tua mihi licuit frui conſuetudine, politiorem profitentis litteraturam. Audiebas me attentus vt præceptorem, ſed inuicem à me vt modeſtiæ typus ſuſpiciebaris. Lectiones ex me quotidie excipiebas; ſed viciſſim à me vt ſanctitatis germen excipiebaris. Meam in docendo tenuitatem laudabas; Et vt Angelus moribus integerrimis laudabaris. Cedebas nemini ſtudendi ſedulitate; nulluſque TE anteibat humanitate. Ad ſummùm ex eo vſquè tenerioris ætatulæ rudimento conіectare licuit, nec immeritò, quanta futura eſſet prudentiæ laus, poſſeſſio ſapientiæ, virtutis commendatio, ſplendor integritatis. In TE renouandam ſperabat priſcorum temporum Patria felicitatem; TVIQVE rapta in contemplationem altiſſimam, ſuam in TE maieſtatem conſiderabat. Eadem fermè ratione, qua ſanctiſſimæ Tuæ Ciuis CATHARINÆ dùm prima ætatis crepundia contemplabatur, ſenilem probitatis adorabat maturitatem. Patere igitùr vt illuſtriſſimæ Ciuis epitalamium cum cæleſti Sponſo Tuo nomini nuncupatum in lucem

cem prodeat. Quandoquidèm hoc exigit generoſa conſtantia, qua optimos mores cum lacte hauſtos, vel inter opulentæ aulæ delicias conſeruaſti: Hoc Tuus in Diuam peculiaris amor: Tua illius virtutum ſedula æmulatio: communis patria, ſanguiniſque coniunctio: & meus demùm in illam cultus, in TE obſeruantia, potiſſimo iure ſibi vindicarunt. Illam ſcilicèt vt ſanctitatis templum; Te verò vt templi ſancti effigiem non contemnendam ſemper dilexi. Audio, nec ſine ingenti animi voluptate, totius Romanæ Curiæ acclamationes, quibus TE omnes vt comitatis Oraculum venerantur. Nemo eſt, qui TIBI breui muricem non ominetur; Quique Te nollet ſuo tempore regnantem in Vaticano: Scio quanto cum plauſu totiès Tibi Senenſis Ciuitas amantiſſima Patria, vt Ciui ſibi conſpicuo gratuletur. Atque adeò mea formidaret Muſa, omnibus deſtituta prærogatiuis, ad Te gradum facere tot negotijs maximis, tot honoribus, & plauſibus impeditum; niſi & Tua recens benignitas, & vetus mea ſeruitus, illam nihil petentem, ſoliſque obſequijs indulgentem, debitæque tributis obſeruantiæ refertiſſimam animarent. Vale. Venetijs, nonis Aprilis 1660.



EPI-

EPINICIVM
D. CATHARINÆ SENENSI
Poſt nuptias cum Diuino Amore die Iouis Bacchanalium ſupremò celebratas.

CARMEN EPICVM.

PROLVSIO.

Non ſempèr tempora Bacchanalium Bacchi ſapiunt temulentam ebrietatem. Adſunt aliquandò caſtiſſimæ animæ, quæ vel in ipſa Bacchantium licentia Virgineas ſeruant illibato Pudori faces. Adite Senas Virginis Vrbem quicunque ſanctiſsimæ Catharinæ cæleſtes delicias, hac maximè tempeſtate profluentes è Cælo, libare deſideratis. Nàm ibi Senenſis Sponſa maritalibus tædis cælitùs initiata, cæleſtem planè diuini connubij, plenis hauſtibus bibit ſuauitatem. Attamèn vt voluptatem ſibi breui morula retardatam, veluti emptam labore, immò & dolore generoſa Virgo diuinitùs geminaret, reiecta roſea tiara, ſpineam tantùm, temporibus impoſuit. Ob duplicatam igitur & Virginitatis, & generoſitatis palmam, in ſponſam ducitur ab Omnipotentis Vnigena; tantæque celebritati nuptiali ſimul, & triumphali, heroico carmine canitur Epinicium.

PARCITE virginea florentia tempora lauro,
Cara Deò ſoboles, ſacræ cui contigit aulæ
Summa tenere, locoque frui propiore Tonanti;
Illumque aſſiduò, ſeu tartara cæca reuiſat,
Terrarum ſeu regna petat; ſiue vltima Mundi
Stelliferi ſubeat Dominum comitatis euntem.
Parcite ſanguineo redimiti ſtemmate frontem
Chriſtiadum Proceres, Superum veneranda Senatus
Ornamenta, Dei teſtes, fideique labantis

 Fulci-

Fulcimenta ſacræ, proprioque in ſanguine ouantes.
Parcite multiplici, radiantibus vndique palmis,
Ordine virtutum fulgentes; parcite cuncti
Victores veſtri, ſcelerumque, Erebique flagellum,
Vos animæ ingentes, audaci parcite Vati.
Me namque ardor agit, veſtras meruiſſe coronas
SENENSEM CATHARINAM horrenti dicere ſerto.
Nè tamen, ò Superi, laudum cum talia canto,
Naufragium Oceano faciam, vos eſte ſecundi.
Dirigite vndarum in medio mea carmina; voſque
Facundi erigite elinguem, & date pondera verbis.
Tu CATHARINA, meis audacibus annue cæptis:
Annue conanti per laudes ire tuarum
Virtutum, dignaque caput redimire corona.
   Vndique Bacchantum furijs dùm percita demens
Turba hominum veros falſa ſub imagine vultus,
Ceu pudeat formæ humanæ, lymphata per Vrbes
Mentitur, cęlumque probris, vitijſque laceſſit.
Æthereæ patuere fores: adamantina regni
Limina ſyderei, cælique repagula, ſummæ
Regem aulæ auulſo venientem cardine, adorant.
Nempè is erat diuinus Amor, qui nuper ab alto
Vertice reſpiciens, CATHARINAM viderat ignes
Concepiſſe ſacros; flammàque vorante medullas,
Tres illam vigiles precibus traducere noctes,
Membraque ferrato laniantem pectine caſto
Numine ſuccenſam; totidemque orientia Solis
Lumina, membra feris inopem ſomnique, cibique
Sollicitare modis; totamque in imagine amoris
Voluier Vnigenæ Ieſſæa è ſtirpe Puelli.
   Illum continuò circùm numeroſa frequentat
Aligerum pubes. Niueas his plurima palmas
Vtraſque inficiunt iuncis intexta, rubiſque
Stemmata mille, coronali exhorrentia peſte.
His onerata roſis ſpecioſa volumina dorſum
Inde grauant, redoletque procùl fragrantia florum;
Quos nupèr dederunt celſi viridaria Cæli.
Elige, ait diuinus Amor, viſnè horrida dumis
Stemmata, an intextis fragrantia floribus? Illa
Aſpera centena dumorum cuſpide fronti

Munera

Munera componit. Quales ſine lege colubri
Gorgonis inficiunt metuenda calantica crines.
Nec mora, ſpinoſo de tempore traxit IESVS
Sanguineos dumos, illiſque coronat amantis
Tempora SENENSIS, ſpiniſque rependit acutas
Spinas, & crines diuino murice tingit.
Vt pia diuino confoſſum Virgo corona
Sentit amore caput; dextrà, læuaque rigentes
Contrectans manibus dumos; nunc munere tanto
Exultat grates referens; nunc tempora dumis
Horrida, regali veluti fulgentia luxu
Nominibus tollit varijs; modò ſanguine malas
Purpureas; modò ſtillanti temerata cerebro
Labra beata vocans: felicia vulnera: amica
Tegmina ſpinarum: dulces in fronte dolores.
Sertum iterùm palmis bis, terq; quaterq; frequentat,
Vix manibus credens, quod vulneris ora diſerti
Cordi facundo ſuadent ſexcenta dolore.
Qualis anhelanti feſſus capit ore viator
Algentes lymphas flammanti feruidus æſtu
Solis inardentis, fluuialibus obrutus vndis.
Nàmq; moræ impatiens vno omnes fluminis hauſtu
Vellet aquas haurire, ſitim extincturus iniquam.
Sic palmas, numquàm ſaturata doloribus, ambas
Virgo, coronalis gaudet recreare frequenti
Contactu ſentis; nec amor niſi vulneris imo
Cordis ineſt vllus, metuitque amittere dumos:
Tanta eſt qua rapitur tanto prò munere Virgo
Lætitia, atque adeo ſpinis CATHARINA ſuperbit.
Scilicèt his Cælo tot dirigit a[r]cubus ictus,
Quot dumos in fronte gerit. Mucronibus illis
Cor ferit Vnigenæ Patris. Flagrat illud, & inde
Scintillæ exihunt Diuæ, queis illa fauillas
Concipit, alternantque vices incendia Amoris.
Qualitèr immiſſis vacuis de follibus euris
Paulatìm aſſurgit, crepitantibus vndique flammis
Ignis, & ad ſummum creſcit laqueare camini.
Virginis intùs alit venas amor igneus omnes.
Donèc in immenſum ſancta creſcente fauilla,
Et magis, atque magis creſcente incendio amoris,

Vi ſurſùm rapitur flammis, flammiſque quadrigis,
Ceu nouus Elias, ad ſydera tollitur alta.
Hìc adamantæo recluſis cardine valuis,
Obuius intranti fit ridens ore Puellus
Sat pharetra, arcuque, atque auratis cognitus alis.
Olli oculos feriens radianti cyclade lucis,
Fronte coronata, & ferientis cuſpide teli,
Virgineas aures roſeo ſic ore laceſſit.
Horrida quid decoras pungenti tempora ſerto
Nominibus varijs? maculiſque aſperſa cruoris,
Ceu ſtellis niteant, felicia tempora iactas?
Deſine ſpinoſo lætari ſtemmate, dùm Te
Florida ſerta manent, melioribus aſpera gemmis.
Scilicèt irriguis oculorum fontibus, atque
Sanguinis attactu grauidatus dumus, Amoris
Prodigio, extemplò gemmantibus vndique ramis,
Natura mirante decus, plaudentibus aſtris
Floruit, & flores ſuperant fulgoribus aſtra.
Quot guttas etenim dumi traxere cruoris
Temporibus, CATHARINA tuis, tot fœnore multo
Sardoniches dederunt; quotieſque dolore fluebat
Lacryma luminibus, toties pretioſa cadebat
Margaris, illuſtri præſtans adamanta nitore.
Hæc effatus Amor, tenuem euaneſcit in auram.
Cum ſubitò attollens oculos CATHARINA, ſupràque
Infràque aſpiciens, noua cernit, & vndique mira.
Immenſam campo ſimilem ſtupet inde repentè
Ante oculos poni ſuperantem lumine Solem,
Gemmiſque Empyreo præſtantem perſpicit aulam.
Machina pandebat gremium ſpatioſa theatro
Argentoque, auroque nitenti. Vtrinque columnis
Ordine quincuplici poſitis latus omne ſuperbit.
Lucidus argento albeſcit prior ordo: ſecundus
Fulgurat aſſurgens flauenti plurimus auro:
Tertius igniuomi rutilat fulgore coralli:
Chryſolito quartus: quintuſque adamante coruſcat.
Fulget achate pauimentum: micat omne pyropis
Culmen: murorumque nitens cryſtallina moles
Hinc inde aſſurgens, gemmarum, aurique nitorem
Mirificè tremulo ſplendore repercutit omnem.

Centum

Centum vtrinque micant aurata ſedilia, gemmis
Irradiata, columnarum alternante decore.
Omnia diuerſo tamen hæc ſplendore coruſcant.
Altiùs inde oculos tollens, circumundique magnæ
Aulæ adamantæis ſpatioſa cacumina clauſtris
Serta incluſa videt, contextaque fuſilis auri
Funiculis, numero, pretioque carentia, quorum
Gemmis pars varijs rutilat; partem vnica format
Gemma, laborato excipiente adamante figuram.
Mox alia è ſummis laquearibus ordine cernit
Pendere auratis, radijſque effulgere miris
Materia æterna, atque opere immortalia, noſtrum
Exſuperante animum, Regum quibus aurea mundi
Proh quantum ſordent, regali ſplendida luxu
Serta, licèt terrenarum miracula rerum!
Inde ope barbarica contextos murice flores,
Quos oculus numquàm vidit, quibus alba nigreſcunt
Lilia, ſordeſcunt violæ, atque liguſtra, Hyacynthique
Ad terram, veluti pretioſa aulæa cadentes
Contegere amplexu vario admiratur onuſtum
Parietem gemmis, quorum fragrantia nullis
Floribus æquanda eſt, variaſque explere coronas.
Fronte autèm (at Tu DIVA meis magis exere vires
Carminibus; Tu verba meis da faucibus apta)
Fronte autèm diues pandebat brachia truncus
Aurata radice tumens, & frondibus aureis.
Cætera ſpinoſus, florenſque, ornatus, & auctus
Præſidio, armabat ceu Peſta roſaria ramos,
Ornabatque ſimul rubicundis floribus omnes.
Haud tamèn è rami prodibant cortice flores;
Scilicèt vna roſæ pariebat ſpina ruborem.
Quodque magis mireris, plures ſingulo in aureos
Flore abeunte caracteres, exinde micabant
Quot flores tituli, PEPERIT NOS DVMVS ACVTVS.
Talia dùm ſecum miratur, celſa repentè
Quinque aditus aperit ſublimis machina, vaſto
Excæptura ſinu venerandas more Puellas.
Hic etenim toties Virtutes cogere Diuus
Sueuit Amor, quoties præclaris geſtibus Heros
Eſt aliquis numero Superum adſcribendus, & alto

Stem-

Stemmate virtutum decorandus. Honore pyropi
Ornantur caſto flagrantes igne: ſmaragdi
Qui ſpe fulſerunt: triplicis diadematis illi
Qui triplicis voti vinxere ligamine pectus.
Hic tandèm merita redimitur quiſque corona.
Incedunt grauibus Virtutes greſſibus, omnes
Quas vbi complexu excepit, folijſque locauit,
Virginitas inquit, niueis quæ veſtibus albens,
Plurima cui tenera ridebat fronte verenda
Maieſtas, puriſque gerens candentia palmis
Lilia, pectoribus caſtos fundebat amores.
O ſacræ Comites, quarum decreta veretur
Tartarus ipſe, timet tellus, Cœlumque tuetur.
Eſt Virgo, magnæ quam Numinis inclita Matri
SENA dedit, SENA illa Dei ſacrata Parenti.
Virgo, inquam, grandis, longi cui temporis æuo
Iura dedi, potuitque diù ſine labe morari
Pectore in albenti, caſto famulante pudore.
Terrigenùm non illa genus; genus illa Deorum eſt.
Diuini quantùm inſtar habet? Quantum illa caducis
Præſtat, magnanimo temnendo corde fugaces
Illecebras Mundi? fas eſt numerarier illam
Cælicolis, noſtroque decet diademate cingi.
Cernite virgineam quo vinxerit illa rigenti
Stemmate ſpinarum frontem (tùm forte coronam
Dumorum reregens alba de veſte, potenti
Quam vi diuini CATHARINÆ nuper Amoris
Traxerat è ſacro radiantis vertice frontis)
Hac, ait, impuri domuit generoſa Tyranni
Robur, & inuicto diſperſit corde fauillas
Tænareas, Paphiæque dolos, ſenſuſque ſagittas
Vulnificas repulit, fregitque Cupidinis arcum.
Hac igitur meruit flores, hac florida ſerta.
Vix ea, cum triplici radians diademate ſurgens
Relligio de ſede, ſacri cui plurimus oris
Ridet honos, multiſque nitent oneroſa trophæis
Terga, triumphali calcans pede vtroque potentum
Regum ſceptra, manuque Orci ſcelerata coercens
Monſtra, ſuperciliòque graui, vultuſque ſereni
Maieſtate nitens, grauitèr ſic ora reſoluit.

Quid

Quid memoras flores? quid florida ſerta recenſes
Virginitas? tantæne paras florentia Diuæ
Stemmata temporibus? Non florida, at aurea frontem
Virgineam decuere. Procùl, procùl iſta faceſſant.
Me ſemper coluit, prò me gemmantia ſerta
Emeruit, triplicique meo diademate cingi.
Sic ait & Charitas pretioſæ ſyntheſis auro
Fulgida, cui tyrio ſaturata licentiùs oſtro
Vellera concedunt, varijſque holoſerica gemmis
Aſpera, barbarico cedunt fulgentia luxu.
Nec mora: conſurgunt omnes nullo ordine ſacræ
Virtutes, vnoque omnes ſimùl ore loquentes
Simplicitas, animi Demiſſio, neſcia flecti
Iuſtitia, exoculata fides, Prudentia rerum
Fato maior, Spes viridis, Patientia duris
Læta, animi numquàm euentu depreſſa ſiniſtro
Strenuitas, auroque omnes, gemmiſque recentem
Conueniunt ornare Deam, meritæque coronas
Gemmantes, aureaſque parant imponere fronti.
Ecce autèm è ſummo pernicibus æthere pennis
Aduolat, auratis obſtantes vndique nubes
Diſcindens iaculis, pharetra ſuccinctus, & arcu
Sanctus Amor, magna Aligerum ſtipante caterua,
Syderea illuſtri geſtantum pondera dorſo.
Feſtinat, mediamque celer tenet aureus aulam.
Conticuere omnes, retegens tunc ille coronam
Florentem, tali Virtutes voce laceſſit.
Siſtite virgineos varijs innectere crines
Floribus, argentoque caput, flauoque metallo
Ornare, & varijs frontem decorare lapillis.
Cernite, nàm talem repulit CATHARINA decorem
Sacra coronali præcingens tempora dumo.
Si dumis ergo flores, atque aſpera gemmis
Emeruit ſerta; aſpernatrix feruida florum,
Nempè voluptatum, quo debet ſtemmate cingi?
Miſſaque ſi meruit cæleſtes lachryma flores,
Quid ſpretæ meruere roſæ? Decora ampla roſarum
Temnere, ſtelliferam non emeruiſſe coronam
Vis prohibere valet nulla. Hoc donauit honore
Contemptum mundi iuſtiſſimus Arbiter orbis.

Eià

Digitized by Google

Eià alacres igitùr ſtellas innectite ſtellis:
Texite SENENSI DIVÆ diadema coruſcum
Syderibus, Dignumque verendæ imponite fronti.
Aſſenſere omnes, celereſque ad iuſſa faceſſunt.
Stellas componunt ſtellis, altumque repentè
Creſcit opus, Cælumque recenti Sole ſuperbit.
Extimuit Titan, ſubitoque pauore volantes
Alipedes frænauit equos, metuitque nouello
Lumine depelli regno; Phæbeque dolentes
Ingeminans queſtus, Cæli petit vltima curſu.
Tunc Diuinus Amor poſitis arcuque, ſagittiſque,
Et pharetra, auguſtæ circumundiq; ſpicula vibrans
Lucis, & inſolita radiorum cuſpide DIVÆ
Lumina SENENSIS feriens, diadema merenti
Impoſuit fronti, teliſque aptauit amicis.

S. CATHARINA SENENSIS coronam ſpineam roſis præfert.

EPIGRAMMA.

Ligerùm plaudente choro, reſeratur Olympus,
Et ruit in noſtros Numen ab axe lares,
Florida cui roſeo fulget diademate dextra;
Horreſcunt læuà ſpinea ſerta manu.
Elige, ait Diuæ, Xenia aduerſantia. Sponſus
Hæc Tibi Diuinus porrigit. Vtra placent?
Vix ea: cum roſeo reiecto ſtemmate, dumo
Virgo coronali tempora ſacra premit.
Sic in amore pares, quod Amoris tempora geſtant
Sertum, SENENSIS tempora amantis habent.

IN

IN POESIM

Dolet Author, ſe Muſarum cantilenis è contemplatricibus abſtractum.

ELEGAE DIRAE.

EN iterùm ad cantum reuocant mea plectra Camænæ,
Agmina delicijs inuidioſa meis?
Bis mea ab hinc denis iàm decurrentibus annis,
Audijt erhruſco carmina ab axe Deus!
Sex quatèr audiuit renouatis cornibus alma
Phebe, dùm ſonitum plectra dedere mea.
Quid rursùs Muſis rapior? Quid Apollinis aeſtro
Conremplatricis vellor ab vberibus?
Crediderâm æternùm Muſis dixiſſe, valete;
Et tamèn illarum cogor adeſſe choris.
O, ita Parnaſſi faſtigia luſtret Apollo,
Vt cadat in præceps garrulus ille Deus.
O, ita Pegaſeis percurrant ſaltibus omnes,
Vt ruat exanimis turba moleſta mihi.
Culmina Caſtalidum reſonant inuiſa Cicadis.
Auguror è ſonitu ſpiritus ore cadet.
Mitiùs vſq; loquar. Procùl hinc procùl eſte Camenæ.
Ite procùl quò vos Pegaſus vngue trahet.
Saltèm ſollicitæ quà vos via ducet euntes,
Ite per Auſonij regna beata ſoli.
Donèc Trinacriæ teneatis littora terræ;
Illùc infenſus vos iubet ire dolor.
Er poſtquàm Catanæ ructanria flumina flammas
Obiectare oculis terra præuſta dabit.
Ite agiles quà celſa tument faſtigia fumo,
Aſtraque ſulphureis inquinat Ætna rogis.
Illinc inſanos agitate in flumina ſaltus;
Er librate modo dexteriore pedes.
Spero equidem; ſaltu primæua ab origine cauſam
Noſcere flammarum ſidera celſa dabunt.
En abeunt, celereſque omnes mea iuſſa faceſſunt.
Et mea Muſarum in funere Muſa cadit.

O Para-

Paraphraſis in Ouidij chaos lib. 1. Metam.

HÆC quæ Neptuni præcingitur vndique clauſtris
Machina, quæ in partes explicat alta ſinum:
Quæ circumfuſo ſuſpenditur aere tellus,
Et librata ſuo pondere fixa manet:
Quæ conuexa tegit ſublimi fornice terras,
Et ſuperimpoſitis ignibus ora micat:
Qui terris, ſuperiſque plagis dat lumina Phœbus,
Quæque præeſt vmbris noctis amica ſoror:
Nil niſi pondus erat, rudis, indigeſtaque quondàm
Materies, nulloque ordine diſpoſita.

S. SIMPHOROSA in flumen proijcitur.

SIMPHOROSA cadis data præda rigentibus vndis,
Quà domitos frangit pons Anienis aquas.
At nè crede vndis extingui incendia Amoris;
Ipſe vel in medijs fluctibus ardet Amor.

Eadem ſaxo ad collum ſuſpenſo in Præceps datur.

FAlleris ò quicunque ingenti hanc marmore Diuam
Flectere cæleſti è tramite poſſe putas.
Inſtar Idumææ depreſſa hæc pondere palmæ,
Rectior aſſurget quò magè preſſa cadit.

De luce in terris viſa naſcente CHRISTO DOMINO.

CVR nitet inſolito tellus fulgore, nigranti
Dum Sol occiduo condidit amne diem?
An quia promiſſus delabitur aureus imber,
Noxque triumphales explicat alba comas?
Vel quia ſtellarum naſcente hôc Principe, Olympe
Scinderis, vt iactes ambitioſus opes?

Seu

Seu quia Diuinum famulentur vt aſtra Puellum,
Sydereæ linquunt tecta opulenta domus?
At fallor; naſcente Deo, fit regia Solis
Tellus: Quid mirum fundat ab ore iubar?

In idem argumentum.

Cum alluſione ad illud, *& in terra pax.*

SCis cur alterno nigreſcat tempore Cælum?
Diuiſum imperium Solque, Sororque volunt.
At naſcente Deo, promiſcua lumina fundunt.
Scilicèt æternæ fędera pacis habent.

In idem argumentum.

AVguſto regnante, fores clauduntur Iani,
Totoque è Mundo Martia Diua fugit.
At IESV Imperio concordia ſydera Terris
Deſcendunt, Cælo mixtaque ſurgit Humus.

In idem argumentum.

AVrea quid memoras Saturnia ſæcula Tellus?
Mellea quid iactas flumina priſca fides?
Cernimus in lacrymas liquefactum Numen Amoris,
Diuinoſque artus ſubriguiſſe gelu.
Quæ maiora putas miracula? flumina mellis,
An fluere irriguo flumina facta Deo?

In idem argumentum.

INcola terrarum fit Numen, vt incola Cæli
Fias; ſeque imo deprimit, vt ſalias.
Aſpicis, heu, quanti Te fecerit Arbiter Orbis?
Tu ſolus pretio Te facis exiguo.

In idem argumentum.

EN Deus, vt Numen fias, fit ſeruus; at Orci
Te ſeruum vt facias, exuis ora Dei.

DIVI IOSEPH

mors felicisſima.

NON potis eſt Cæli immortalia limina læthum
Tangere, numquam atro ſollicitata rogo.
Cur igitur Diui temeraria ſcindere falce
Auſa es fatali ſtamina Parca colo?
Hinc MARIA amplexu recreat, fulcitque cadentem,
Obſequio manuum deuenerata Virum.
Hinc beat aſpectu, & verbo ſolatur IESVS.
Illa IOSEPH coniux, filius ille IOSEPH.
Ergo cadit medio in Paradiſo? At funera Diuum
Nulla grauant; dulcis ſomnus ad aſtra tulit.

Aliud.

DIVE flagras, ſed nulla cutem flamma extima vexat:
Diuino traheris ſcilicèt igne Polo.

Aliud.

CVR inter SPONSÆ amplexus, atque oſcula NATI
DIVE cadis? Neſcis? TE Paradiſus habet.

Aliud.

QValia vicinæ IOSEPH ſolamina mortis?
Hinc MARIA: hinc IESVS, Natus, & vxor erant.
His medius dulci clauſiſti lumina ſomno;
Nempè mori haud potuit cui Paradiſus erat.

Aliud.

PHæbus erat IOSEPH; Ideò poſt ſigna Leonis
Ieſſæi, amplexu Virginis aſtra ſubit.

Aliud.

Digitized by Google

Aliud.

NON cadis extinĉto ſimilis, ſed Solis ad inſtar
Occidis, vt ſurgas ſydera ad alta Poli.

S. PHILIPPVS NEREVS

Ob incendium Diuini amoris coſtas relaxat.

EPIGRAMMA.

DVM DIVI pectus diuino exæſtuat igne;
Laxantur nimio coſtæ agitante rogo.
Scilicèt immenſam dùm concipit igne fauillam;
Quæritat anguſtum flamma aperire locum.

Aliud.

NEREVS æterni patiens incendia Amoris;
Laxari ſentit pectoris antra rogis.
Et referant coſtas violentiùs ilia. Quippè
Anguſta immenſus limina neſcit Amor.

Aliud.

DVM fluit ignitæ ſub imagine lampadis, ardens
Diuus Amor, ſacros concipit aura rogos:
Dumque PHILIPPEI conclauia pectoris ignem
Concipiunt, coſtis flammea facta via eſt.

Aliud.

DIuinum vt ſenſit venientem NEREVS ignem,
Exceptura Deum pectora ſubſiliunt.
Immò triumphalem coſtas inflexit in arcum,
Vt Diuus toto corde triumphet amor.

ALE-

ALEXANDRI, ET CÆSARIS
Buſtum terrorem latè prætereuntibus incutit.

QViſquis in hanc vrnam pauitantia lumina figis;
Nè mirere, altus dùm ſubit oſſa pauor.
Nàm veneratur Alexandrum cum Cæſare, buſto
Hoc iacuiſſe, Orbis queis fuit exiguus.
Et timet, audaci nè ſurgat vterque lacerto,
Vt ſolus pulſo regnet in Orbe Pari.
Terror vterque fuit Mundi; benè vtrique parentat
Extincto, gelidus qui ſubit oſſa tremor.

Aliud in idem argumentum.

QVam cernis molem pario ſub marmore preſſam
Quæ vectigales exigit vna metus,
Nè ſpernas; Potiùs venerare timoribus vrnam;
Saxaque congeſto det pia dextra rogo.
Nempe improuiſus Romano debita ſoluit,
Pellæoque Duci iuſſa tributa Pauor.

Aliud in idem argumentum.

QViſque ſuæ anguſtum virtuti fecerat Orbem.
Tandèm parua duos condidit vrna Duces.
Hinc Natura timet, nè rurſus in arma reſurgant;
Inque vicem in ſeſe mutua bella gerant.
Iure igitùr ſubitus cunctis timor occupat artus;
Vt cuncti inijciant ſaxa, ſolumque Pyræ.

Aliud in idem argumentum.

INgemuere vnum non debita præmia Mundum,
Quoque omnes capimur, non potuere capi.
Nil igitùr mirum, incutiunt ſi buſta pauorem,
Vt diſcant omnes inde referre pedem.
Nempe viris totum qui deſolauerat Orbem,
Debuerat condi ſolus vterque pyra.

Digitized by Google

IN FAVORI[illegible]VM

Omnium loquaciſsimum aliena carmina eructantem.

PArnaſſi tentas furtiuo aſcendere calle;
Niſuſque excurſu vincere Pegaſeos.
Armaſti audacem vocali cuſpide dextram,
Tergaque pennarum remige preſſa tument.
Nè tamen his aude celſo te credere Cælo;
Nil affixa humeros penna aliena iuuat.
Icarus indebito pennarum remige ſtellas
Dùm petit, Eridani ſe tumulauit aquis.
Inter Apollineos cætus tua furta patebunt;
Tendere nec poteris Vatibus inſidias.
His pennis haud celſa petes reſonantia Pindi
Culmina; Pegaſeo deijcieris equo.
Alipes indignos contundet calcibus artus;
Muſarumque colis ictus ad ima cades.
O vtinàm lapſu, non crura, at lingua laboret.
Sanus eris, fracta garrulitate Puer.

Sacra Stigmata

D. FRANCISCI.

EPIGRAMMA.

QVid video? Hèu ſacris reſerata foramina palmis
FRANCISCE? Et plantis antra adaperta tuis?
Vndè TIBI potuere feri ſacra membra forare?
In TE quis potuit tela rotare manu?
Pænituit dixiſſe ferum; TIBI vulnera fixit
Diuus Amor; retegunt vulnera Carnificem.
Non benè Carnificem dixi. Haud TIBI vulnera membris
Dulcis Amor fixit; ſydera compoſuit.
Splendidior namquè in terris cum Sole niteſcas,
Officioſa dedit ſydera in obſequium.

ELO-

ELOQVENTIÆ VIS.

EPIGRAMMA.

QVI tonat eloquio, labriſque potentia vibrat
Fulmina; in humanos imperat ille animos.
Hinc odium ciet, hinc mulcet amoribus iras.
Spe ſtimulat, retrahit corda agitata metu.
Pellit ad arma viros, armiſque exarmat onuſtos
Illius arbitrio pax, furor, arma placent.
Vocibus Herculeis algentes corde timores,
Æſtuſque irarum compoſuere vices.
Linguaq; plus potuit quondàm Ciceronis inermis,
Enſibus armatæ quàm valuere manus.
Nàm ferit externos manus acta furoribus artus:
Lingua animos palma nobiliore, ferit.

S. BRVNO
Carthuſianorum Fundator.

EXtincti eloquio (proh mirum!) docta BRVNONIS
Dùm conuicta tacet lingua, perorat Amor.
Ergò magiſtrorum argumenta nouiſſima, nullum
Pondus habent; meliùs verba cadauer habet.
Illa docent ſalibus, ſtrepituque obtundere mentem;
Hæc pondus veræ ſoliditatis habent.

Aliud.

ORE cadauerico noua ſurgit Pallas, abacta
Quæ quondàm è cerebro dicitur orta Iouis.
Illa Meduſææ obiectu ægidis, atque rigenti
Haſta; hæc Semianimis fulmina voce rotat.
Illius auſpicijs algeſcunt corda BRVNONIS;
Huius diuinus voce reuixit amor.
Iurè igitur Mundi dicta eſt ſapientia ſtulta;
Scilicèt elinguis ſat Lybithina docet.

FINIS.

VRANIA ET ERATO

Poſt fœdus initum

Inter Chriſtianiſſimum, & Catholicum potentiſſimos Reges.

Nominis famæ numquàm interituræ

Illuſtriſsimi, atque Excellentiſsimi Domini

GEORGII D'AVBVSSON DE LA FEVILLADE

ARCHIEPISCOPI EBREDVNENSIS, &c.

Multiplici carminum genere ſacro, & prophano

Ad concordiam cum fidibus feliciter ineundam

DISCORDANTIVM APOLLINEM

Obſequij ergò, humillimè prouocabant.

Digitized by Google

CARMINVM ELENCHVS

Quæ in tanti Præſulis, & Oratoris obſequium Romanæ cecinere ſorores Vrania, & Erato

Doctoris D. Petri de Comitibus.

Diuini Amoris Perſonata maieſtas, Poema. Sæcularis eelebritas, Poema.
Ad Card. Raynaldum Eſtenſem Duce Franciſco fratre orbatum, Epig.
Ad Eumdem villam ſuperbiſsimam, et palatium Tybure reſtaurantem, Ode.
D. Maria Magdalena naui inuecta ſine remige, Maſsiliam nauigat, Poema.
Puer Ieſus in ſtabulo, diuino Amore, ceu flos liqueſcit in rorem, Ep. Aliud. Aliud.
In funere Chriſti Domini, Varia Dyſtica. Ad B. Virg. abeuntem in Cælum. Ode.
De S. Roſa Viterbienſi. Epigramma. Aliud. Aliud.
S. Alexius cuncta abdicata. Epigramma. Idem ſchalis incolit. Epigramma.
Saulus in Stellam, diuina metamorphoſis. Elegia.
Ad Petrum de Vecchis Oliuetanam diſciplinam ſuſcipientem. Epigramma.
S. M. Magd. vouit Paupertatem. Epigr. Eadem ſe flagris cruentat. Epigr.
S. Laurentius igne ſibi fabricat regium diadema. Epigramma.
Illatio deducta ex Natiuitate Chriſti Domini, Carmen Iambicum.
Comitis Dauid Vidmàn mors immatura. Epigramma.
Pater cũ duobus filijs damnatur fami. Elegia.
Franciſci Buſenelli mors immatura. Epigramma.
In Cometam Romæ viſum, Diræ. In D. Bartholomæum. Epigramma.
Regulus importunæ garrulitatis exemplum, Carmen Epicum.
S. Ignatius Antiochenus Leones prouocat, Epigr. Aliud. Aliud, in idem argum.
Miiomachia, carmen iocoſum. Poema. Bacchanalium ingluuies. Poema.
Horatij Patiani cubiculum Tyburtinum. Elegum iocoſum.
Ad eumdem ſordide viuentem, et ſordidiùs loquentem. Epigramma.
Ad eumdem ventris crepitus frequenter emittentem. Epigramma.
Aliud, in idem argumentum.
Dominici Bonfilij hominis craſsiſsimi Tumulus.
Ad D. Alexium domi abſentem amantis Coniugis epiſtola. Elegia.
Stella Magorum Dux. Epigr. Aliud. Aliud. Aliud.
Simonis Magi de Cælo lapſus. Epigramma. Aliud. Aliud.
Archangelæ Gradignani tumulus. Alius.
Explicatur Nox per allegoriam continuatam. Epigramma.
Ad Doctorem, et Ducem Ioſeph Mariam Pectum. Elegia.
Ad P. Magiſtrum Antonium Cottonium Metaphyſicum Patauinum. Epigr.
Ad Zebilonem venditorem aquæ acidæ. Epigr. Aliud.
Centurio Cæcus Chriſti latus lancea confodit. Epig. Aliud. Aliud. Aliud.

Illuſtriſſimo, atque Excellentiſsimo Domino

GEORGIO D'AVBVSSON DELA FEVILLADE,

Archiepiſcopo Ebredunenſi, Regi Chriſtianiſſimo à ſanctioribus conſilijs, eiuſdemque Legato extraordinario ad Sereniſſimam Venetiarum Rempublicam

D. Petrus de Comitibus Romanus fauſtitatem.

INGENS TVI nominis fama, ILLVSTRISSIME, ATQVE EXCELLENTISSIME PRÆSVL, meam Muſam pellexit, vt aliquod TIBI ſiſteret ſuorum operum, in tributum obſequij, quo ſemper Tuam coluit nobiliſsimam Nationem, & præcipuè Tuas regias virtutes, quibus TE digniſsimum reddidiſti, qui in negotijs tàm difficilibus, ad Rempublicam ſapientiſsimam, prudentiſsimi Cardinalis IVLII MAZZARINI iudicio, potentiſsimi Regis Legatus deligereris. Gauiſa eſt Venetiarum Vrbs vniuerſa, ex quo cognouit, TE vt Pacis colum-

bam

Digitized by Google

bam ex Alpibus aduolaſse; Tuuſq; aduentus nebulas diſcuſsit, quibus infauſtus belli turbo, tot luſtra Auſonium Cælum miſerè funeſtauerat. Et ò quantùm animi addidiſti Venetis bellatoribus, quandò propenſam ſibi Galliam, vt ſociales tribuat bello manus, prænuntiaſti? Tibi omnes vt Mercurio acclamant, quoniàm truculentam Bellonam, tamdiù noſtro malo ſæuientem in nos, aduersùs Thraciam impellere cogitaſti, vt illìc Samſonis funere pereat non inulta. Excipe igitur benigno vultu Muſas obſequioſas. Mercurius quippè Apollinis internuncius, Mineruæ præco, Rhetorum Præſes, Vatibus fauet. Et ſi quæ deſunt merita ad audendum, memineris, Pictoribus, atque Poetis quodlibet audendi ſemper fuiſſe conceſsam ampliſsimam poteſtatem. Vale.

DIVI

DIVINI AMORIS
Sub Cereris, Bacchique vultu
PERSONATA MAIESTAS
CARMEN EPICVM.

PROLVSIO.

Abeunte poſt Orcum, Chriſtianæ Reipublicæ parte non exiguâ, ingenioſas inuenit artes Diuinus Amor, quibus placidiſſimam cordibus inferat violentiam. Vt igitur Bacchanalium tempore, ſanctiùs triumphet è perſonatis viris, præpotentis Numinis apparere non renuit, ſub Cereris, Bacchique vultibus, perſonata maieſtas. In tanti Amoris obſequium, placet hîc eiuſdem triumphum, in admiranda Euchariſtici panis metamorphoſi, heroico carmine paucis celebrare.

VIVIT adhùc, miſcetque iterùm ſua pocula Circe?
Heu quid agit? Facies hominum, ſimulacra Tonantis,
Ora Dei vultum referentia, verſa ferinos
In rictus cerno, ſacramque oblita figuram
Corpora, ſerpentũ, Eumenidumq; gerentia formam?
Tantum igitùr potuit maga ſæua potentibus herbis,
Carminibuſque Acherontæis, vt mille pererrent
Armenta, indignos ſimulantia voce ſuſurros,
Queis latrare canes, ſæuoſque rugire leones,
Atque vlulare lupos, & equos hinnire, boueſque
Mugire, & ſtrepitu Hircanas implere cauernas
Tigrides ablatis catulis, aut plangere feles
Nouimus, aut mixtis pecudum balatibus hircos?
At fallor, quiſquis Circe truculentior vrget
Fata ſui, gaudetque Dei repuliſſe figuram.
O ſtultas artes, ò cæci ſæua Barathri

 Tenta-

Tentamenta! Procùl, procùl hinc auertite peſtem
Cælicolæ, & veteres hominum ſeruate figuras.
Eſt veſtrum prohibere nefas, dùm tentat Auernus
Impius effigiem toties temerare Tonantis.
Heu malè diuina quos aurea ſydera vultus
Luce colorarunt, ſtygia turpantur ab vmbra.
Viderat Auſonium ſcelerum contagia Mundum
Inuaſiſſe, & totum latè baccarier Orcum
Lapſa Polo Pietas; Doluit, ſicque ore locuta eſt.
O cæcas hominum mentes! ò pectora Cælo
Ingrata! ò talis genitoris imagine vultus
Indignos! miſeri ſic Cæli temnitis aſtra
Mortales? Erebique nouos curatis amores?
Moliar ipſa nouas artes, quibus æmula Cælo
Terra, ſuum proprijs colat obſequioſa Tonantem
Cultibus, vt victor Cælo haud inſultet Auernus.
Dixerat, & ſacris componi altaria templis
Inſtituit, vetereſque Deo inſtaurantur honores.
Paſſim conſurgunt argento, auroque nitentes
Machinæ, & innumera flammantes lampade moles,
Quà ſummi patuere Dei auguſtalia templis.
Tollitur his medio ſublimi pegmate paruus
Arcus, vbi victor dulciſſima fulmina torquet
Aligerum fabricata manu, folioque triumphat
Diuus Amor nitido, cryſtallo incluſus, & auro.
Candicat in niueo Cereris puriſſimus orbe
Orbis, & aſtrorum Rector; candentia fingit
Veſtimenta ſacri diuinus candor Amoris.
Scilicèt impuros vt terreat eminùs omnes,
Non niſi candoris fulget ſub imagine Numen.
Quòd ſi quis tetras admiſit pectore ſordes,
Et velit ad ſacras aras accedere panis
Diuini, ſciat innumeras fulgere per Orbem
Ordine diſpoſitas circum myſteria flammas,
Vt priùs admiſſo reuocantis pectoris igne
Crimina aduſta cadant, in odorem abeuntia, fumo
Inſtar idumæi halantis thymiamata thuris.
Si ſecùs, æthnæi timeas incendia montis,
Veſeuique rogos, totumque ardere fauillis
Æthera, ſacrilegis cineres minitantia labris.

Hùc

Hùc totam videt excitam de ſedibus Vrbem
Confluere, vmbroſi teterrimus arbiter Orci;
Si tamen ore queat radiantia lumina circùm
Cernere ſyderei puriſſima ſigna theatri
Æterna cæcus tumulatus nocte Tyrannus.
Infremit incaſsùm; pompæque nigrantia mille
Impedimenta ſacræ parat irrequietus ab vmbris.
Hinc auidam flammat ſtudio nouitatis adactam
Pubem, fęmineis inhiantem lumine pompis
Audaci, & nimiùm famulantem moribus Orco.
Templa adeunt, variamque ſacra in ſtatione loquentum
Ore mouent circùm leuium irridendo coronam.
Effuſis reſerant temeraria labra cachinnis,
Quos vix in ſcæna tolerare comædia poſſet,
Obſcænaque Deum præſentem voce laceſſunt.
Non tamen his potuit lætari plauſibus Orcus.
Audijt hæc Pietas, opportunaſque fideli
Suppetias miſit Populo. Nàm Carolus adſtat
Eloquio, & virtute potens, cui Spiritus ori
Deſupèr aſſiſtit. Magna hic grauitate iocantes
Increpat audaces iuuenes, totuſque repentè
Excitus populus ſacris ſermonibus, altum
Supplicis in morem, veniam depoſcit Olympum.
Aufugit attritus Phlegeton, temploque recedit
Garrula turba, miniſterio quæ inſeruit Auerni.
Velatumque omnes ſub tegmine Numen adorant
Triticeo, flammaſque inter venerantur IESVM.
Exultat Cælum, ſexcentaque læta triumphum
Agmina congeminant, repetitaque gaudia pompæ
Sidereis augent flammantibus æthra fauillis.
I, nunc cede ſacris, & Bacchanalia iacta.

SÆCVLARIS CELEBRITAS.

PROLVSIO.

Solet Romanus Pontifex annis ſingulis quibuſque quinis ſuprà vice ſimos, vniuerſo Terrarum Orbi ſolemne indicere iubilæum, quod quia per annum durat, dicitur Annus Sanctus. *Vt videlicèt totius Chriſtiani Orbis concurſu, Romanæ fidei probet vnitatem. Poſtremus igitur inter Pontifices INNOCENTIVS X. huiuſmodi renouauit celebritatem, quam heroico carmine breuiſsimè proſequitur pia Muſa.*

AVrea diuinæ patuere repagula portæ
PONTIFICIS reſerata manu, quibus vltima fixit
Sacra pedum, ſubiens mortem, veſtigia Numen.
Alma patent auguſti limina Vaticani,
Limina Cæſareis quondàm ſatis inclita labris,
Sed magè diuinis celebria vocibus; inde
Cùm reſponſa darent Oracula Numinis Orbi.
Hùc Arabes properate truces; hùc Indus, & Afer;
Hùc Germana cohors; hùc Sarmata, Moſchus, & Anglus:
Hùc omnes, quà bruma rigens Aquilone gelato,
Et quà Caucaſeis ſatiata rigoribus ora
Corpora captiuat niuibus; ſiue Aeolus atra
Reddat in occiduis regionibus; arida quamuis
Phæbi orientis alat truculenta canicula flammis.
Quid torpetis adhuc? Vos plauſu inuitat amico
PAMPHILIVS PASTOR; noſtriſque reciprocat æther
Vocibus, & ſummus valuis è poſte reuulſis,
Quà Vaticani moles operoſa theatri
Tollit ad aſtra caput populorum examine feruens,
Alta peregrinis adamantina limina pandit
Ianitor, vt noſtris reſponſet plauſibus echo.
Hac iter ad Superos; hæc vnica Semita Cæli.
Geſtit in occurſum Aligerùm numeroſa caterua,
Et ſeſe comites, vobis abeuntibus Vrbem
Verſus, ab Axe dabunt Superum mille agmina. Pigras
Caſtigate moras. Eccè INNOCENTIVS Orbem
Expectat patulis palmis, vt munera votis
Concedat maiora petentibus; atque Tonantis
Diuitijs repleat vos immortalibus omnes.

Ad

Ad Cardinalem

RAYNALDVM ESTENSEM

Franciſco Mutinenſi Duce germano fratre orbatum.

EPIGRAMMA.

DVM plaudit TIBI Roma, & Vaticana precatur
Stemmata, tunc fratrem Parca inimica rapit.
Non eſt aduerſæ fortunæ hic ictus. Amicis
Hæc TIBI contingunt funera ſyderibus.
Nàm properans Cæli FRANCISCVS ad aſtra, Tonanti
Quæ TIBI ſunt artes, fortia geſta canet.
Sic meritis condigna dabit TIBI præmia Numen,
Et Vaticani in vertice iura dabis.
Funerea in triplicem vertetur pompa tiaram;
Inque locum fratris, filius Orbis erit.

AD EVMDEM

Villam ſuperbiſſimam, & regium Eſtenſium palatium Tybure reſtaurantem.

ODE.

DVM rura Romæ proxima, quæ iugo
Alto laceſſunt ſydereæ domus
Auguſta tecta, igneſque fixos
Diuitijs ſuperant, & auro:
Cùm ſummam in altis Tyburis arcibus
Ædemnè cerno ſurgere, an erigi
Famæ trophæum, quo futura
Sæcula TE faciant perennem?
Regalem alentem pectore ſpiritum
Cognoſco, PRINCEPS, in TVO; & aureum
Munus Deorum TE frequenti
Ore cano; Superumque iuſſu
TE fabricantem Tyburi, vt aurea
Romæ tiara ad mænia fulgidus
Terna, daturus iura Mundo
Sidereo hinc ſolio veharis.

D. MA-

D. MARIA MAGDALENA naui inuecta ſine remige maſſiliam nauigat.

CARMEN VOTIVVM.

PArcite fluctiſoni, veneranda ò Numina ponti,
Neptunuſque pater, regnum queis cura profundi.
Voſque precor, ventorum animæ, generoſa furentum
Agmina; teque ante omnes Rex Æole, Diuæ
Parcite, qui fluctus, tempeſtateſque cietis.
Vos etiam inſtabilis dominantes æquoris vndæ
Excipite hanc animam faciles, tutamque profundi
Per medium præbete viam. Neu perdite puppim
Remigio orbatam, veliſque. Sat illa fatiſcit
Vexata, heu nimiùm, rabie crudelis Auerni.
MAGDALA amor Superum, ſtudiumque Tonantis, in illa
Vecta agitur, potuit quondàm quæ naufraga culpis
Numinis ante pedes, portum reperire ſalutis.
At quid ego votis fluctus, ventoſque fatigo?
Ipſe ſacer placidas proſternit in æquore lymphas
Rector Amor, nauimque manu moderante tuetur,
Nè ſcopulis illiſa cadat, vel ſorpta procellis.
Nàmque licèt puppim furor impius ire per vndas
Iuſſerit; auſpicio Cæli, famulantibus auris,
Incolumis certum tenuit tutiſſima portum.
Portum,inquam, vnde vià Cælum meliore capeſſat.
Tu latitans vepres inter, ſæuoſque receſſus
Abſterſura nigras lacrymarum aſpergine ſordes
MAGDALA, dic actum per tot diſcrimina callem.
Diuinos expone modos, queis Rector Olympi
Rexit in vndoſo nauis moderamina regno.
Dic ſpecus, vnde animos Cæli ſpatieris ad aſtra,
MAGDALA Syluarum cultrix, & Ciuis Olympi.
Dic fortunatas latebras, vbi nobile pandis
Agminibus Superum, imo ſingultante theatrum
Corde, ſerenatis concertatura querelis.
Hìc gemitus fundes, lacrymiſque fouebis Amores.
Et ſocians lacrymis gemitus ſimùl aſtra docebis
Icta repercuſſas facta æmula reddere voces.

Quid

Quid tamen irriguo lacrymarum flumine ſyluas
Diua beas? meliùs noſtri purgamina cordis
Iſta fluenta forent. Felices rore beato
Stillanti ex Diuæ madefactæ lumine plantæ.

PVER IESVS
In ſtabulo, diuino Amore, ceu flos liqueſcit in rorem.

EPIGRAMMA.

COncipiunt flores rorem, quem carcere clauſum
In lachrymas vitreo flamma operoſa liquat.
Excipit vndantes moles ſubiecta liquores,
Et cadit in vitrum lachryma facta roſa.
Defluit in paleas flos auguſtiſſimus almi
Numinis, & rigidi ſuſcipit vrna ſpecus.
Hac fornace roſam diuina incendia flammant
Æthercam, vt terræ flumina odore fluant.
Has amor exciuit flammas. Ergo excipe florem
Corde, tibi Diuus quem liquefecit amor.

Aliud.

DEfluit in ſtabulum diuino ab Amore liqueſcens
Gemma Patris, factus dùm premit antra Puer.
Excipe purgato liquefactam pectore gemmam;
Scilicet hanc vno corde locare decet.

Aliud.

PAtris Amor, riſuſque Poli, Diuûmque voluptas
In paleis recubat, factus amore liquor.
Vt ſordes hominum tergat, lacrymatur IESVS;
Sola etenim ſordes lacryma corde trahit.

IN FVNERE CHRISTI DOMINI
VARIA DISTICA.

Terra mota eſt.

SOL cadit, atque imo tremuit de cardine tellus;
Indignum exhorret ſcilicèt illa nefas:

Sol obſcuratur, : Et *tenebræ factæ ſunt.*

NVmen obit, tegiturque nigra caligine Phœbus,
Nè videat flagris membra rigata Dei.

Et petræ ſciſſæ ſunt.

SCinduntur ſilices, dùm vita orbatur IESVS;
Vt doceant cordis frangere duritiem.

Velum templi ſciſſum eſt.

SCinditur in partes, extincto Numine, velum;
Vt pateat cunctis carnificina Dei.

Corpora Sanctorum ſurrexerunt.

DVM Dominus moritur, rediuiua cadauera ſurgunt;
Extremum vt pateat, mortem obijſſe diem.

Monumenta aperta ſunt.

OCcumbente Deo, patuere ſepulchra; parentent
Vt Domino ex vrnis qui rediere viri.

Centurio, & qui cum eo erant timuerunt valde.

QVI potuit IESV rimari cuſpide pectus,
Nunc timet; heu Dominum nouerat eſſe ſuum.

Verè filius Dei erat iſte.

DVM ſexcenta patrat miracula, Numen IESV
Nemo videt; retegit nunc crucis vmbra Deum.

Percutientes pectora redibant.

QVÆ potuit loris artus perarare Tonantis;
Diſcat nunc pectus cædere dextra flagris.

Et poſuit illud in monumento nouo.

NON vult in veteri ſepeliri marmore CHRISTVS.
Scilicèt ille Deum, qui renouatur, habet.

AD BEATAM VIRGINEM abeuntem in Cælum.

VOTVM SAPPHICVM.

VIrgo dux pacis, Superum, ſolique
Principis magni genitrix, Olympi
Lux, laborantum requies, laborum
Maxima merces.
Tu pererrantes retrahis periclis;
Naufragis portum reſeras; ſinuque
Colligis mœſtos; aperiſque cunctis
Limina Cæli.
Heu quid orbatos homines Parente,
Obſitos linquis tenebris, fugaci
Liminis curſu meditans ſuperni
Scandere tecta!
Quid tenebroſas iacis inſolenti
Voce diſceſſus nebulas, nigrantis
Quæ refulgenti meliùs coruſcas
Lampade noctis?
Parce; Quid tecum rapis innocenti
Crimine auratos fugiens nitores?
Te perennabunt abeunte, nullo
Lumine noctes.
Siſte; quid Cælum properas? retorque
Hùc pedem rursùs; miſeros vel illùc
Nos trahas tecum pia, ſempiterni
Vinculo amoris.

DE S. ROSA VITERBIENSI.

EPIGRAMMA.

VRitur hibernis florum regina pruinis;
At magis hyberno, Virgo, rigore viges.
Flos redolet; tu Virgo fragras virtutibus. Ille
Lumina noſtra; rapis lumina Cælicolum.
Iure igitur conſanguinei TE nomine dicunt
Virgo ROSÆ, vt fias naribus apta Dei.

Digitized by Google

Aliud.

ES ROSA, ſed duplici melior diſcrimine. Adulta
Nectare Cæli es; nec Sole cadente cadis.

Aliud.

TE Virgo fecere ROSAM fragrantia morum;
Atque verecundus qui tegit ora rubor.
Haud igitur TE mortalem viridaria terræ
Fæcundata caduco imbre dedere ROSAM.
Sed TE immortalem Cæli ſub Sole perenni
Diuino genuit ſanguine cultus ager.

SANCTVS ALEXIVS cuncta abdicat.

EPIGRAMMA.

DIuitias patrias dùm ſpernit ALEXIVS, aſtris
Fænerat, & ſtatuit Numen in axe vadem.
Dùm temnit gentile decus, paritura triumphos
Æternos Cæli ſemina ſpargit agris.
Dùm Patriam linquit, regna immortalia Cæli
Occupat, & dextræ ſceptra beata parat.
His gradibus iàm ſcande Puer ſuper aſtra; Tonantem
Scilicèt ille petit, qui peritura premit.

Idem ſchalas incolit.

NIL mortale ſibi generoſus ALEXIVS, aſtris
Non permutatum linquit in Orbe Puer.
Vnica ſchalarum placuit coluiſſe latebras.
Scilicèt his gradibus debita ad aſtra volat.

SAV-

SAVLVS IN STELLAM,

Diuina metamorphoſis, quam in eius admiranda
Conuerſione ſancta colit Eccleſia.

ELEGIA.

PErdere Chriſtiadas cum SAVLVS tentat, & iras
Sæuus in Vnigenam Numinis exacuit.
Eccè repentino tactus fulgore, nigrantem
Corde animam exhalans concidit exanimis.
Accurrunt famuli, certatimque agmine facto,
Multa ſimùl rogitant, auxiliumque parant.
Eccè autèm (mirum dictu) dùm brachia tentant
Erigere, & medica tangere membra manu;
Aufugiunt artus manibus; neque corporis vllam
Humani aſpiciunt ampliùs effigiem.
Cuncta vident tenues membra euaneſcere in auras.
Stella fit, humana formà abeunte procùl.
Obſtupuere omnes, oculiſque hærentibus inſtant
Ore nouum attonito cernere prodigium.
Nil niſi fulgorem cernunt, radioſque micantes;
Cunctaque ſublimi clara nitore vident.
Tamquàm ſydereos cernunt conſurgere crines.
Dixiſſent Phæbo ſurripuiſse comam.
Tempora phæbæo diademate vincta coruſcant.
Phæbi obeunt malas, fluminis inſtar, opes.
Lumina in igniuomos lucis conuerſa pyropos,
Contorquent acie ſpicula; tela vibrant.
Frons adamante omni pretioſior auget honores
Luminum, & aſtrifero ſtemmate colla nitent.
Fulgida purpureis, proh quantum labra corallis
Præſtant, ſydereo ſplendidiora rubro!
Quas trahit auratis locuples Pactolus arenis
Gemmæ, quaſue Hermus fert pretioſus opes,
Omnia concedunt SAVLO ſuperata, decore
Cui frons diuino labra, genæque micant.
Ac veluti nitida radiantia fronte comeres,
Inter ſtellatos explicat arma choros.
Sic SAVLI fluitant ad cætera membra nitores,
Sydereo è capitis vertice, & ex oculis.

Sydera dixiſſes accurrere Solis ad ora,
Illius vt rapiant lumen, & inde micent.
Singula membra nouo capitis fulgore fruuntur;
Ac veluti phæbo ſydera tacta nitent.
Quæ radijs pertracta ſuis, & pondere carnis
Exonerata, volant ignea facta Polo.
Sic totus fulgor ſtellarum ſcandit ad alta
Culmina, vt illuſtret Sol nouus inde ſolum.
Sic alias intèr cunctis fulgentior ardet
PAVLVS, & à PAVLO ſydera nomen habent.

AD PETRVM DE VECCHIS

Nobilem Senenſem Vatis auditorem, in ipſis Deiparæ natalitijs
Oliuetanam diſciplinam ſuſcipientem.

EPIGRAMMA.

CVR patriam linquis? Matris cur vbera calcas;
Et pede præcipiti fulminis inſtar abis?
Quò properas? Conſiſte pedem. Quò, PETRE, dolentē
Noſtram animam tecum, noſtraque corda rapis?
Heu Cælum nobis propiùs dùm Virgine factum eſt,
Longiùs aufugit, Sole abeunte, dies.
At propera, fuge, temne patrem, calca vbera matris;
Sol etenim cùm ſis, non niſi ab axe nites.
Montis Oliuiferi ſuperato vertice, ab aſtro
Nunc oriente, nouus Virgine Phæbus eris.

S. MARIA MAGDALENA

ſpretis opibus, vouet Paupertatem.

MAGDALA quid laceras gemmata monilia collo?
Sæuaque quid gaudet vellere dextra comas?
Hinc membra abſciſſis ſatiatis veſtibus auro:
Illinc aulæis tecta opulenta gemunt.
Nil mirum; ſcelerum ſunt ornamenta latebræ
Corporis; hæc certæ ſunt alimenta necis.
Ergò vtriſque ſimul ſelix orbata, triumphat
MAGDALA, diuitijs vt fluat inde Poli.

Eadem

Eadem ſe flagris cruentat.

PArce precor ſcelerare manus; ah parce cruori.
Quot miſeros iſto ſanguine dira necas?
At fallor: Pereat quicunque occidit IESVM.
Quò magè dextra furit, tunc magè corde pia es.

S. LAVRENTIVS

Igne ſibi fabricat regium diadema.

DVM ſuper impoſito ferrata crate, cruorem
Mulciber exſiccat, flammiſque rigentibus artus
In cineres redigit, LAVRENTI pone timorem.
Carbones etenim, queis membra præuſta laborant,
In gemmas abeant rutilas, ſtellaſque comantes
Efficiet Diuinus Amor, quibus aurea ſurgant
Virtutum fabricata manu diademata, in alto
Æternùm vt ſolio regnes, palmàque fruaris.

Illatio deducta ex Natiuitate Chriſti Domini in ſententia admittente ens rationis metaphyſicum obiectiuè.

IAMBICVM.

HVius potentem machinæ Mundi Arbitrum,
Superùm rotantem dextera orbium globos
Paleis cubare frigido incluſum ſpecu;
Cuiuſque captum mentis humanæ licèt
Fugiat, neque eſt CHIMÆRA, dùm factum vides.
At quòd Tonantis filio Te comparem;
Immò Tonantis filium fieri neges,
Cælique ſpernas Regiam; hoc eſt maxima,
Hoc eſt CHIMÆRA peſſima, & omnium ſimul
Chaos CHIMÆRARVM, nefandum, horrendum, atrox.

CO-

COMITIS DAVID VIDMAN

Mors immatura, dum menſe Iunij Roma Venetias repeteret.

EPIGRAMMA.

Siſte manum Clotho; primæua quid eripis annis
  Penſa, puellari vix agitata colo?
Haud laqueos metuit philomela implumis, & atra
  Tuta viret campis falce tenella ſeges.
Erraui; reſcinde colo pleniſſima factis
  Penſa. DAVID vincit Neſtora temporibus.

Pater cum duobus filijs in carcere damnatur fami.

ELEGIA.

Impia longæuum gemina cum prole parentem
  Damnat Barbaries, ira adigente, fami.
Lege tamen ſæua tormentum augente viciſſim,
  Quà nihil horridius Gorgonis ora vomunt.
Siquis enim geminis fregiſſet guttura, vitam
  Barbara carnifici lex dabat illa patris.
Carceris è ſummo pendebat fornice ferrum;
  Scilicèt hæc miſeris gaudia fata dabant.
Vt patrio nati macularent ſanguine palmas;
  Vel prior hoc natos tolleret enſe pater.
At furat impietas; doceat truculenta Megæra
  Mille nocendi artes, & vomat ore dolos.
Edoceat Progne, natorum viſcere patrem
  Poſſe ali, & Aſtyages deuoret, atque Athamas.
Odiſſet vitam genitor, quam debeat vno
  Mercari natûm ſanguine, quem dederat.
Nec minùs horrebant genitoris viſcera nati.
  Impetere, vt ducant abſque parente dies.
Oſcula dat natis genitor, natique parenti,
  Sorſque eadem natos cum genitore rapit.

FRAN-

FRANCISCI BVSENELLI
mors immatura.

FRANCISCI pretioſa ſecas mors improba vitæ
Stamina, fatali tàm benè ducta colo?
Vernantem ſegetem non damnat falce colonus;
Nec rapit implumes durus arator aues.
At, reor, erraſti mors implacabilis, enſe
Fatali puerum dùm violenta rapis.
Vidiſti mentem florere ſenilibus annis,
Neſtoreoſque putas tranſilijſſe dies.

IN COMETAM
Romæ viſum.

DIRAE.

QVid flammas ructas radianti fronte cometes?
Sidereiſque comis mixta venena iacis?
Deſine crinita bellum portendere pompa.
Deſine læthifera luce fouere neces.
I, vel in extremas terrarum peſtifer oras;
I, pete tartareas, dire cometa, plagas.
Haud etenim te phæbus alit; te nutrit Auernus,
Quam vomit oblatrans Cerberus ore lue.

In D. Bartholomæum.

HEV Sol Armeniam luſtrans, vibrat ore Salutis
Lumina, datque ſacras BARTHOLOMÆVS opes.
Viuaque diuini fœcundat ſemina verbi
Sanguine, quem multo fudit ab imbre latus.
Vtque daret totum, cum nil ſupereſſet, IESV
Dat pellem, & totus victima ſacra cadit.
Diſce hinc, quàm Cæli pateant anguſta viarum;
Dùm cute detracta, BARTHOLOMÆVS abit.

Regu-

Regulus importunæ garrulitatis exemplum.

REgulus Æneadum vitam degebat in Vrbe
Garrulirate potens, genus alto è ſanguine ducens
Tanralico, Oceani qui tempeſtatibus actus,
Gurgiteque in medio labris arentibus vndas
Quærir, & ardenri fugienria fercula lingua.
Quidqud in Vrbe, domi, plateiſq;, forinſecùs, intùs,
In capitolino, vaticanoque Quirites
Collibus, inque ipſa ſupremi Principis aula
Tractatur, parulo decantar gutture cunctis
Garrulus, inflatiſque ciet ſibi murmura buccis.
Tandèm Ponrificis iuſſu regnantis IVLI
Faucibus extrahitur lingua, & ſcelerata ſuuntur
Labra, interruptas tabo abſorbentia voces.
Ille cruore madens, vitæque in limine verſans
Non dolet extremo luctari in funere vitam;
Sed fauce aſſuetos haud reddere poſſe boatus
Verborum dolet, & lingua caruiſſe loquaci.
I, nunc tende aures alienis REGVLE factis
Exploratrices, labriſque loquacibus inſta.

S. IGNATIVS ANTIOCHENVS
Antiſtes leones prouocat.

DIue, laceſſita de morte referre triumphum
Indomiti dura fauce leonis amas?
Erras; non poteris violento oceumbere lætho;
Namque tuo medio in pectore IESVS adeſt.

ALIVD.

QVÆ lybicos potuit tremefacere belluà tractus,
Bellua ſyluarum terror, & arma Leo.
In tua terrificus non incutit vna timorem
Corda, ſed in dentes erigis ora feræ.
Verbis inſultas, acuiſque minacibus iras
Geſtibus; & belluam dùm ſubis, ore fugas.
Nil mirum. Scripta eſt ribi pagina cordis IESV
Nomine, diuinus quod pararauit amor.
Ille animæ eſt vita. Ergò animante beatiùs illo,
Pectora; non poterunt corda ſubire necem.

FINIS.

MIIOMACHIA

CARMEN IOCOSVM

PROLVSIO.

Liceat interdùm etiàm ſerijs intermiſcere iocoſa. Dùm igitur æſtiuo tempore, moleſtiſſimis Muſcarum appetimur punctionibus, placet hìc heroico carmine canere Μυιομαχίαν. *Fingimus enim improuiſa è Domitiano Cæſare accepta clade, totam exarſiſſe bello Muſcarum Gentem, quo tandèm miſerè perierit ipſe Princeps Romanus.*

ARMATAS acies, cætuſque in bella furentes
Muſcarum canto. Vos aſpirate canenti
Numina, queis numquàm violentis morſibus ora
Intumuere, atriſque genæ rubuere venenis.
Dicite quis ſæuas furor in certamina Muſcas
Compulit, & quantos tulerint ex hoſte triumphos.
Cùm ſemel aurato regalia DOMITIANVS
Membra toro laxat, circùm feruentia Muſcis
Atria multiplici latè ſonuere ſuſurro.
Quippè ſuperbifica comitante vtrinque caterua,
Centum Oratores Romanam ad Cæſaris aulam,
Muſcarum ex Apula Rex auguſtiſſimus ora
Miſerat (vnde omnem imperio, iuſſiſque coercet
Aligerum Gentem, & tuta in ſtatione gubernat)
Excæpturus opem in Culices, queis bella parabat.
Inſolito excitus venientum murmure Princeps,
Atria Regalis circumdat milite tecti,
Muſcarumque genus, facto impete, perdidit omne.
Miſſiſque ex centum vix Oratoribus vnus
Cæſaris indignam potuit narrare ſuperſtes
Barbariem, & totum ad vindictam excire Senatum.

His excandeſcens Gentis Muſcheidos altus
Induperator, ad arma vocat cuncta agmina, & vnà
Haſtatos Culices ad fędera amica laceſſit,
Perdere quos bello nupèr tentauerat; armis
Vt ſimul admixtis, Romana ad mænia bellum
Indicant, ſoluantque hoſtili ſanguine iuſta
Manibus,& Princeps cadat hoſtia DOMITIANVS.
Nec mora, belligeræ properant ad prælia turmæ
Muſcarum,Culicumque ſimul.Mille agmina ſurgunt
Bellantum, qui non tela ære rigentia longè
Contorquent. Non haſta manu, non miſſile ferrum
Eminùs acta volant: Paruis tenuiſſima labris
Lancea crudeles parat ictus; ſpicula figunt
Altiùs impreſsa in cute, quò depreſſiùs inſtant
Vulnera, læthiferam exhalantia faucibus auram.
Eſt locus Apuliæ in medio, cui maxima circùm
Æquora finitimis pandunt confinia regnis.
Hìc celeres coeunt, paruaque in rupe cauati
Antri, vbi puluerei ſpatioſa volumina collis
Explicat æſtiuo regio ingratiſſima Cælo,
Sollicitant turbam alatam, coguntque Senatum.
Poſtquàm pugnaces tenuere ſedilia Muſcæ
Aſpera conchilijs, concha ſic flammat ab alta
Tirſus ad arma Duces. Quid ſpreti prælia ſegnes
Detrectamus adhuç, Proceres? Iniuria Muſcis
Inflicta, Æneadum infidæ Oratoribus aulæ,
Nos omnes (ſi quæ pietas, ſi laudis auitæ
Tangit honor, patriæque decus, violataque Mundi
Fędera, ſi quis amor belli, ſi iuſta cupido
Vindictæ, ſi regnandi ſpes vrget) ad arma
Nos omnes vocat,& noſtram ad certamina Gentem.
Hæc nota Romano delenda eſt ſanguine: Cædes
Non niſi Cæſarea purganda eſt cæde; Maniplis
Certa manet noſtris victoria; Deſupèr ipſum
Cælum aderit iuſtis votis; Cadet hoſtia noſtris
Ictibus ipſe Tyrannus. erit merx maxima Roma.
Exciti his Proceres, ad bella nouiſſima cogunt
Quiſque ſuas turmas; metuenda volantibus addunt
Agmina pampineis diſtincta per aera ſignis.
Nec mora, certatim ſeſe ad certamina flammant,

Digitized by Google

Romanaſque plagas agitante libidine cædis,
Inuadunt, voluuntque atra caligine Cælum.
Tympana nulla ſtrepunt; nullus ferit ęthera clangor,
Sed caſſæ ſtrepuere nuces. Non ænea flammeos
Explodunt tormenta globos, ſed parua lacertis
Miſſa volat paruis, medicata cuſpide ariſta,
Exiliſque teres torquetur lancea labris.
Iamque improuisò noctu tenuere nigranti
Nube palatinas Romani Cæſaris ædes.
Fit clamor, iaciuntque feræ ſuper alta ſagittas
Tecta, feneſtrarumque aditus, pinnaſque ſupernæ
Turris in obiectu poſitæ crebro ariete pulſant.
Vitra labant, timaſque admittit turris hiantum
Pinnarum, ſtrepitumq; cadentum plauſibus augent.
Intereà è ſummo conopœo Cæſar ephæbos
Aduocat ad ſeſe, & vultu inueſtigat acerbo
Vnde flagellatas quatiat fera grando feneſtras?
Illi præcipites properant ad culmina turris,
Vnde labant pinnæ, ſtrepitumque audiere volantum
Muſcarum, cernuntque (licèt vix cernere poſſint,
Omnia cum teneat Muſcarum denſa caligo)
Cernunt è ſummo ſublimis fornice turris
Vſquè pauimentum, circùm, infrà, deſuper, intùs,
Deforis, haſtatis feruere loca omnia Muſcis.
Attoniti ad Dominum redeunt, comitantibus atris
Muſcarum agminibus, completurque aula ſuſurris.
Cortinam excandeſcens dextrà DOMITIANVS
E lecto remouet, cauſam viſurus, Ephæbi
Cur indiſtincto replerint murmure tecta.
Eccè autèm ſexcenta volant millena, totumque
Principis obuallant, nudataque brachia morſu
Multiplici feriunt, oculiſque, geniſque relinquunt
Fixa venenatis hærentia ſpicula labris.
Cæſar ad arma ſuos vocat; & loca ſubdita circùm
Armatos miſere viros, qui iuſſa faceſſant
Principis. Ille modò pugionibus aera Muſcis
Verberat oppletum: pugnis modò membra laceſſit
Vulneribus tumefacta nouis: modò tempora tundit
Icta cruentatis haſtis: modò voce coercet
Auxiliatrices geminantes vulnera dextras.

Tandèm correpta peracuta naribus haſta
Ad cerebrum, atque imis è faucibus, interclufis
Spiritibus, perſtricti pectoris exhalauit
Fœdam animam; Muſcæque almum cecinere triumphum.
Tanti eſt vel Muſcas ad bella laceſſere probris.

BACCHANALIVM INGLVVIES Solemnis ieiunij aduentum timet.

CARMEN IOCOSVM.

PInguia Baccantum, craſſoque nitentia iure
Facta cano; tu læta meis da Muſa loquelas
Carminibus dignas, pingueſque in mente furores.
Atque artologanis digniſſima pectoris æſtra,
Artocreiſque foue, craſſis veneranda cothurnis.
Tuque Pater Vatum, Dryadumque Hyperion, amicas
Tange fides, numeroſque meos adſtringe butyro.
Dirige paſtillis linguam, & labra percute pernis.
Vt ſacræ venere idus, queis Februus alta
Nomina progenuit, ſiccæ metuere Quirites
Virginis aſpectum, faciem cui plurima circùm
Allia deturpant, qualem ſine lege colubri
Gorgonis inficiunt impexa calantica frontem.
Terga papauereis turgent hirſuta capillis,
Stemmatis in morem, ceruice cadentibus atra.
Longa quaterdenum lacerant ieiunia ventrem,
Ventoſamque ferox intùs tenet Aeolus aluum,
Horrendiſque ciet metuenda tonitrua bombis.
Brachia lenticulis verſicolorata renident.
Crura ligaminibus, quæ texta cucurbita nectit,
Irradiata tument; artuſque tenerrima veſtit
Braſſica, & aſparagi circùm præcordia cingunt.
Monſtrum hoc Æneadæ poſtquàm propè mœnia cernunt
Vrbis; & ingenti properantem ad limina greſſu
Infenſam vetulam, paraſitis vndique complent
Compita, lixarumque cohortibus, ordine longo,
Diſponunt vallos, & Bacchanalia cantant.

Nec

Nec mora; perſonis armantur, & ora figuris
Innumeris humana tegunt. Huic horrida monſtri
Arridet facies; placet huic villoſa leonis
Mento colla premi; cadit hic ſub rictibus vrſi,
Ille lupi; colubros alij; multique moloſſos
Ore gerunt ſimili, ſtrepituque imitantur iniquo
Latratus, vlulatus, informeſque ferarum
Infandos ſtrepitus; nec deſunt queis Dæmonis ora
Nigra placent, quamuìs furialibus horrida circùm
Cornibus, implexiſque comas ſerpentibus ornent.
  Sterpilus incumbit cochleæ; ducirque Cephiſſi
Dexrra bouem phaleratum; calcat ephippia ceruo
Deſupèr impoſita inclinatus forcipe Merlus.
Aximus ignitum quaſſat ſine lege flagellum
Funibus intortum piceis; metuendus Alippus
Falce, rotat dextra rurbis petaſatus in orbem
Zacchareas glandes; Catharinus amigdala filo
Porrigir appenſa in pueros ab arundine longa.
Palliolo fabrus lumbos radente cadentem
Enſiculum craſsa geſtat rubigine tergo
Semeſum, cui pileolus de more rotundus
Parthenopes, lepidè oblongo percurrit amicam
Vngue chelym, Siculiſque aures clamoribus implet.
Fabririus roſta coràm ſpectante Popello
Anſere, & aſſaris intrà chriſendeta turdis
Veſcitur; Anzelmus parulo bibit ore lyæum
Crerenſe; infectos Fronzinus amoribus artus,
Er Bacchi fumo ſimulat, tremebundaque laſsat
Crura, inſtar temulenti. Germani ebria tantùm
Affectans membra, eructat ſcurrilia verba.
Quilibet ad ſummùm certat dediſcere mores
Humanos, belluæ ficta ſub imagine tectus.
Nil ramen hoc obſtat, ſed paſſibus impigra currit
Formidata nimis vetula, & capitolia ſcandit.

HORATII PATIANI

Lepidiſſimi hominis cubiculum Tyburtinum.

ELEGVM IOCOSVM.

SIquis in Argæo Fabrianum colle requirat;
Hic PATIANÆOS quærat adire lares.
Vltima quà pandunt ſeſe ambulacra reuiſat,
Storea quà ſummo fumida poſte cadit.
Inde ſiniſtrorsùm poſtremo limine licto,
Oblita candenti limina calce petat.
Illaque ſollicitè compreſſis naribus intret;
Cunctaque luminibus quà patuere voret.
Populeam tripodem, ramis, gremioque fouentem
Immundum calicem, quæ iacet ante fores:
Nè timeat fortè immiſſo deterritus imbre;
Nàm PATIANÆA hæc clepſidra nocte fuit.
Nocturna hac didicit metiri tempora mole;
Hac etenim, quò Sol progrediare, tenet.
Stellarum hac nouit motus, lunæquæ recurſus,
Et quidquid Cæli tegmina dura tegunt.
Arte tamen didicit ventris meliore planetas
Noſcere, & introrsùs quidquid ab ore cadit.
Tormina cognouit quæ ſint, atque vnde creentur;
Quomodò & ex aluo ſit reſeranda via.
Inſupèr ore nouo didicit miſcere loquelas;
Et varios vetito fundere ab ore ſonos.
Quæ circumcircà rubra circumdata tela
Menſa tori læuum reſpicit alta latus.
Fortunæ hanc ſedem, ſaxumque volubile dicas
Siſipheum, aut callem prætereuntis auis.
Non toties vidit Solem nimboſus Orion,
Aſtraque Phœbæis emicuere comis.
Alterna haud toties parta eſt victoria fratrum;
Alterniſque obijt Lunaque, Solque rogis.
Impia non toties antiqua ab origine Mundi
Abſcidit abſumpto ſtamine fila Soror.
Non toties cymba metuendus Portitor Orci
Cocyti nigras itque, reditque vias.
Illa loco quotiès ſemota eſt menſa; nec vllo
Immoto iacuit tempore menſa pede.

Mane

Mane terit lateres ſeruantes limina rectà;
Obliquè lateres veſpere menſa terit.
Quæ priùs oblongo captabat tramite lucem,
Carthacea illuſtrat luce feneſtra propè.
Nàm PATIANÆVM ſola inconſtantia laudat
Ingenium, & ſola mobilitate viget.
Nobilis idcircò placuere matheſeos artes;
Quas tamen aſſiduò dextra labore terat.
Ergò mathematicus cùm ſit non integer ille,
Semimathematicus SEMIPATIANVS erit.
Et cùm non norit latiali ſyrmate voces,
Vulgata Patris nomina voce canam.
A PAZZIANO ſi ſyllaba bina ſecetur,
Quæ primæ remanent, nomina digna dabunt.

AD EVNDEM.

ſordidè viuentem, & ſordidiùs loquentem.

CVR toties pleno latrinam gutture cantat,
Et miſcet labro poſteriore ſonos?
An quia fœtentes dùm fundit ab ore ſuſurros
Gaudet fœtentes frangere dente dapes?
Cur ſtant prò foribus rorantia vaſa mephiti,
Et manet in tripodis fœda matalla ſinu?
An quia iucundo latrinæ gaudet odore,
Et Fabrianenſi mergier imbre cupit?
Perpetuò os illi Fabriani nectar inundet;
Et bibat ambabus naribus ambroſiam.

AD EVNDEM

Ventris crepitus frequentèr emittentem.

DVM Fabrianenſes eructas fauce loquelas,
Sæpè etiam vetito fundis ab ore ſonos.
Et das ventoſo metuenda tonitrua ventre;
Qualia non ſupera Iuppiter arce ciet.
Scilicèt ille Poli Deus eſt; Pater hic Fabriani.
Fulminat ille manu; dùm tonat hic crepitu.

Aliud

Aliud.

TAM bene conformes vtroque dat ore loquelas;
Vt dubites poſſit quo meliore loqui.

DOMINICI BONFILII,
Hominis craſsiſsimi.

TVMVLVS IOCOSVS.

QVI craſſam cernis molem, conſiſte viator;
Dùmque legis, narem claudat vtramque manus.
DOMINICVS iacet hìc craſſorum maximus, aluo
Quem dederat ſummæ BONFILIANA domus.
Hoc tumulo tegitur, tumulum qui ventre gerebat
Immenſum dapibus, nàm boue maior erat.
Tentabat Cælum ſuperare cacumine ventris,
Telluremque alui iungere mole Polo.
Proh quàm ſepteno ſpirabat fonte mephitim!
Dixiſſes venam ſulphuris, antra Stygis.
Aera peſtifero temerabat faucis hiatu;
Ore luem verbis, cum lue verba dabat.
Sæpiùs indignas temerè ardeſcebat in iras;
Luminaque ardentes euomuere faces.
At ſiquis dulcis monſtraſſet vitra Lyæi,
Prælia ſpumantis diripiebat ouans.
Luce palàm mollis biſquinque cohibuit horas
Morpheus, pampineo membra grauata Deo.
Nocte acherontæis potuiſſet mergier vndis,
Nàmque illìc ſomni continuaſſet amor.
Vel ſomnum capiens, rabido ſeu dente laborans
Ille; igitur ſomnus, potus, adepſque fuit.
Craſſa Epicureis tapiebat dogmata libris;
Callebat quidquid Memnonis arte patet.
Vi pellem extendit, ſtomachoque ſuperflua vino
Fercula coniecit vix capienda boui.
At nimia tandèm oppreſſus pinguedine, pinguem
Fato animam; huic tumulo fætida membra dedit.
Hinc caueas, nimia tumeat pinguedine venter.
Nàm facilè in tumulum vertitur altus adeps.

AD D. ALEXIVM

Domi abſentem amans coniux, ſalutem mittit.

ELEGIA.

QVO vir ALEXI fugis, vita mihi cariòr ipſa?
Quò dulcis, licta coniuge, ALEXI fugis?
Ampliùs haud potero ſine TE traducere vitam;
Quidquid erit ſine TE, luctus, amaror erit.
TE ſine lux omnis fiet renouata doloris
Atra ſeges, vitæ carnificina meæ.
Immò erit obſcuræ Sol idem noctis imago,
Cunctaque erunt tenebris vel nigriora mihi.
Teque per has lacrymas oro, per ſiquid in almo
Pectore Romani eſt, vel Pietatis amor.
Siquis amor Patris, Genitricis ſiqua recurrit
Cura, precor, miſeræ parce nigrare dies.
Quid terras, Cęlumq; nouum, & noua ſidera quæris?
Omnia ſunt tectis inferiora tuis.
Siccinè Romanæ temnis ſpectacula pompæ?
Siccinè delicias, diuitiaſque Patris?
Ah ſaltem Tecum peregrina ad littora Sponſam
Duc, quòcunque velis ducere, læta petam.
Eſt animus penetrare domos Garamantis, & Indi,
Tecumque infernos vel ſubijſſe lacus.
Coniugem inexpertam non duces; namq; frequenti
Obdurata diù membra dolore gero.
Non credis? Miſeram Tibi certa pericula reddant,
Quippè gero innumeris corda probata malis.
Ales amica [illegible] pullos non reſpuit, antè [illegible]
Lumina quàm fuerint luce probata ſatis.
Nec ſua damnarunt dubitantes pignora Pſylli,
Ni diræ effugiat dipſadis ora Puer.
Duc Tecum miſeram, Coniux; tua iuſſa faceſſam,
Vel ſi flammarum vis adijſſe rogos.
Cuncta mihi Tecum, Coniux, dulciſſima ducam,
Cunctaque erunt duro corde minora tuo.
Extinguunt flammas vndæ; panacea calentes
Expellit febres; lingua venena necat.

Indomita ferrum è ſilicis ceruice triumphat,
Et ferrum reddit mollius ora rogus.
Ipſum etiam calybem fornace calente recuruat
In gyrum Steropes; æra liquata cadunt.
Sciditur in partes adamas, vbi gutta cruoris
Excidat ex Agni tela tenente cute.
Tu ſolus peior Pſyllo, & Iouis alite, amantem
Coniugem inexpertus linquis ALEXI tuam.
Durior es ferro; flammis qui cedere Amoris
Neſcis dire meis, queis mea corda flagrant.
Ipſo etiam, Coniux, truculentior igne recedis,
Flectere quem lacrymæ non potuere meæ.
Caucaſeum ſupereſt præſtes adamanta rigore;
Nàm tua duritiem corda adamantis habent.
Spero igitùr tandèm lacerati pectoris imbre
Indomitum lacrymis flectere poſſe Virum.
Quòd ſi nec poterunt adamantina pectora frangi
Coniugis innocuæ ſanguine, ſponte cadam.
Sponte cadam, vt ſæuo crudelia pabula ferro
Largiar è lacera coniuge membra Viro.
Credo equidèm, Libies natum TE matre leæna,
Cerbereo genitum ſemine. Plura tamen
Scribere cùm calamus furijs agitatus iniquis
Vellet, Amor digitos corripit, & calamum:
Dextra improuiſo correpta rigore labaſcit,
Vireſque ex toto corpore deficiunt.
Hæc igitùr tremulo, torpentibus artubus, addo
Pollice; dà veniam, nàmque agitauit Amor.
Littera amara nimis rabie dictata, lituris
Ceu gemmis, poterit viſa micare tuis.
Corrige ALEXI redux verba indignantia Sponſæ;
Nec mihi reſponſum charta rigata ferat.
TV mihi regreſſo reſponſum porrige vultu,
Vt libare queant oſcula mille genæ.
Gaudia iucunda lacrymarum aſpergine malas
Implent, cùm dulcis dant meminiſse Viri.
Scribere nec potui nimia dulcedine totum
Nomen, ALEXI veni, dulcis ALEXI redi.
Hæc ſcripſi, vt reditum coner ſuadere marito.
Deficienſque iterum, finio. ALEXI, vale.

STELLA

STELLA MAGORVM DVX.

VIſa eſt è ſummo præfulgens aere lampas
Aurea, quæ nitido reddidit ore diem.
Nunciat illa Magis Orientis amica Tyrannis,
Aduenìſſe Deum, dum facit ore diem.

Aliud.

MIttitur ad Mundi confinia præuia Cæli
Nuncia Principibus flamma comata Magis.
Scilicèt vt pateat, nocturno tempore Solem
Enituiſſe nouum, debuit igne cani.

Aliud.

SOle oriente, cadunt ſtellæ; cur Numinis ergò
Ortus crinita ſtella oriente micat?
An quia ſtellarum diuinus Apollo, nitores
Non timet hinc poſſint luce carere ſui?
At fallor; voluit præmittere Regibus ignem,
Ignitum vt ſcirent ortum habuiſſe Deum.

Aliud.

NAtum fulmineum crinita fronte Cometes
Debuit in terris explicuiſſe Iouem.

SIMONIS MAGI

De Cælo lapſus.

QVO ſcelerate ruis? Quo ficto adigente volatu
Tolleris ad ſummæ tecta opulenta domus?
Siſte gradum; PETRVS ſic imperat arbiter Orbis,
Cui Stygiæ, Cæli cui patuere fores.
Sit properaſſe ſatis, ſatis es ſublatus in altum,
Vt lapſu infælix hinc grauiore cadas.
Quippè Acherontæis ſublatus ad aſtra fauillis,
Debuit ad centrum flamma redire ſuum.

Aliud.

Tandèm ſublimi reuolutus ab æthere SIMON
Decidit in præceps, triſte remenſus iter.
Dùm ficto ſiquidèm molitur in aera greſſum
Remigio alarum, Tartara cæca petit.

Aliud.

VÆ TE penna trahit ſursùm, haud TIBI terga dedere;
Sed fuit harpyæ tergore ſecta manu.
Hæc igitùr puras Cæli cùm ſenſerit auras,
Decidet in præceps, Teque cadendo trahet.

ARCHANGELÆ GRADIGNANI tumulus.

RApta Gradignani iacet hìc ARCHANGELA Cælo,
Immatura viris, apta puella Deo.

Alius eiuſdem.

HIC Gradignana immaturo ARCHANGELA fato
Rapta cadauer habet; Spiritus aſtra premit.

Explicatur Nox per allegoriam continuatam.

ORba patrem duco, milleno lumine quamuìs
Dotatum, necnon ducor & ipſa patre.
Nata beneficij non immemor, ora parentis
Vulnero, læthiferas dùm rotat ille faces.
Sic pereo, & perimo; capimuſque, damuſque viciſſim
Vulnera, nata hinc, hinc pater arma gerens.
Nil tamen admiſſo doleo ſub pectore ferro
Patris, nàm fuſo tela cruore vacant.

AD

AD D. IOSEPHVM MARIAM PECTVM
Veterem amicum, in vtraque Pallade Cæſarem.

ELEGIA.

HEV quotiès TE deluſit ſpes vana videndi
  Me reducem, atque TVVM cor ſibi luſit amans?
Credideram, Venetis liquiſſe paludibus omnes
  Curas, vt [illegible] me via corriperet.
Cum tamen abreptis cunctis, conſcendere nauim
  Nocte paro, & cupido nil ſupereſſe puto.
Eccè tibi grauiore pedem cutis arida morſu
  Vellicat, & ſubito conuolat vngue manus.
Moxque cutem ſcalpit, quantum prurigine dextram
  Prouocat illa; atque è vulnere ſanguis abit.
Principiò tenuem reſerati vulneris vmbram
  Contemno; cruciat deinde dolore cutis.
Virus abit circùm percrebeſcente cruore
  Partes finitimas, erubuitque caro.
Calceus elato decreſcit tegmine plantæ,
  Nec capit inflatum mollis aluta pedem.
Immò illum caliga, neq; poſſum vdone trementem
  Induere, exteriùs luxuriante cute.
Tandèm ſollicitus cura, plantæque dolore
  Corripior calida membra grauata febri.
Illaque crudeli depono languida lecto,
  Vt vacet aſſiduis mens agitata malis.
Sic autumnales ferias abijſſe dolebam;
  Nec me Romanam carpere poſſe viam.
Parte mei meliore vaco, Te PECTE relicto;
  Semper habes animam, dimidiumque mei.
Ex quo virtutem licuit cognoſcere mentis
  PECTE Tuæ, rapuit nobilitatis honor.
In TE diuinis decoratos moribus annos
  Suſpexi teneros, parque iuuenta fuit.
Ingenuus candor, ſimplexque modeſtia vultus,
  Ora verecundæ tincta rubore roſæ.
Strenuitas cordis, comis facundia linguæ;
  Fronſque ſerenati pectoris indicium.
Inſignis pietas, & riſus amabilis oris,
  Ingenium diues Palladis emporium.

Cura

Cura ſenilis, honor ſtudij, ſapientia ſumma,
Nullus in inceptis ambitionis amor.
Innumeræque animi dotes, queis PECTE refulges,
Summaque in aduerſis me rapuere fides.
Sum Tuus, atque Tui cecidit data victima amori
Quidquid ineſt toto in pectore, PECTE, meo.
Libertas, cordis penetralia, vita, receſſus
Mentis, amor, calamus, lumina, deliciæ.
TE ſine amara foret diſcendi optata voluptas;
TE ſine Muſarum deſipit altus amor.
TE ſine Peripati tacuere Oracula PETRO;
Nil ſine TE ſacræ Palladis arma valent.
TE ſine Pieridum nequeo indulgere ſuſurris;
Nec valeo illarum lætus adeſſe choris.
O vtinam Tecum traducere Neſtoris annos
Poſsem, animæ requies, deliciumque meæ!
Nempè Ducem poſsem generoſum cernere, TEQVE
Doctore eximio iure in vtroque frui.
Quot mihi tunc poſses oſtendere carmina? Quotq;
Eloquijs aures PECTE beare meas?
Dulce renarrantis foret excæpiſse loquelas;
Dulce foret pariles reddere voce ſonos.
Phæniecem Vatum, TEQVE alta arcana tenentem,
Quæ vix Aligeris innotuere Dei,
Suſpicerem, & veteri tantum præſtare magiſtro
Gauderem, IOSEPH, Te potuiſse tuo.
Ambirem tanti fieri Auditoris alumnum,
Illius vt poſſem proficere eloquio.
Nempè AQVINATIS, SCOTIQVE Oracula pandis
Tàm facilè, vt ſtupeant hinc SCOTVS, inde THOMAS.
Quiſque ſuæ poſset Genium cognoſcere pennæ
In TE, quem Pallas fecit amica ſuum.
Namque mathematicum nouit, iuriſque peritum,
Rhetorem, & inſignem Philoſophum, atque Ducem.
TEQVE ideò primogenitum ſelegit, vt vnà
PECTE vtriuſque manu Palladis arma geras.
Ergò tuo poteris, IOSEPH, præſto eſse clienti
Eloquio, calamo, iuribus, enſe, manu.

AD

AD P. M. ANTONIVM COTTONVM

Fratrem Tertiarium D. Franciſci, in Patauino Gymnaſio metaphyſices Lectorem, in via Scoti.

TAntus es ANTONI, vt quamuìs Antenoris ingens
Vrbs teneat, famam mænia non capiant.
Alpes tranſcendit, Pyrenen, Caucaſum, & Indum,
Totumque impleuit Mundi vtriuſque ſolum.
Alta voluminibus doctis COTTONIVS aſtra
Nomen adit, cuius fama perennis erit.
Non TE COTTONVM, dixiſſem iure Catonem,
Si Cato COTTONO maior in Orbe foret.
Nempè Cato moriens impleuit nomine Romam;
Sed Tua viuentis nomina Roma colit.
Illum Pompeij viderunt ſigna ſecutum.
Romulei; vnius TE ſacra ſigna Dei.
Nunquam ridentem vidit ſua Roma Catonem;
Romaque COTTONI eſt deueneràta ſales.
Illum doctrinæ expertem; TE Mundus adorat
Vt primogenitum Palladis, atque Scoti.
Ergò maiorem facio TE iure Catone
Doctrina, ingenio, Relligione, Sale.

AD ZEBILONEM

Venditorem aquæ acidæ, quæ vulgò dicitur *l'acqua acetoſa.*

VIX matutini rediere crepuſcula Solis,
Cum Romæ horrenda mænia voce tonant.
Somnus terrificis refugit ſtridoribus; atque
Tota tuo, ZEBILON, Vrbs gemit icta ſono.
Terga [illegible] vectant, cahoco callosa quaternos
Dextra tenet; crines pileus imus obit.
Pinnaque pileolum verſicolorata coronat,
Et medium cingit frondea Zona latus.
Sardoi lympham venalem obtrudis aceti
Moribus ingratam, & pocula plena geris.
Cur Acherontæas mordenti hoc rore cauernas
Non luſtras, ſtygias digne ſubire plagas?
Ergò importunos deponas mane ſuſurros;
Vel mathula imbre tuum ſparget odora caput.

Aliud,

Aliud, in eumdem.

HYſopo rabidi morſum compreſſit aceti,
Vt CHRISTO potum perfida turba daret.
TV nobis purum propinas ruris acetum.
Ergò Iudæis ſæuior es ZEBILON.

CENTVRIO COECVS

Chriſti latus in tenebris lancea perfodit.

SVblimi extinctum pendens ex arbore Numen,
Ingemit obſcura nocte ſepulta dies.
Sol fugit è Mundo; vidit tamen impia ſacrum,
Quod dira peteret cuſpide dextra latus.
Haſta volat, medioque bibit de corde cruorem;
Et quod mireris, qui ferit orbus erat.
Orbus erat, recto Chriſtum qui vulnerat ictu?
Nec collimaſſet rectius Argus amans.

In idem argumentum.

SEmianimem vt vidit pendentem è robore Chriſtum,
Nocte Deum vt cælet Sol rapit Orbe diem.
Nil tamen hæc potuere piæ velamina noctis,
Nempè ferit rectà lancea corda Dei.
Cæcus erat qui corda ferit, pendentis IESV;
Namque aliter frontis non toleraſſet ebur.

In idem argumentum.

COR petit in tenebris cæcus pendentis IESV
E trabe. Nil mirum; pectora Solis erant.

In idem argumentum.

COrdis adit ſæuo Cæcus penetralia ferro.
Has adijſse vias, cæcus Amor docuit.

FINIS.

TERPSICORE

SACRA, ET PROPHANA

In triumphum

Illuſtriſsimi, atque Excellentiſsimi D.

IO. BAPT. CORNELII

Ex regio Piſcopiæ Oppidi ſpecu

Subditas olim prouocat Sorores; ad concordiam

DISCORDANTIVM APOLLINIS

Omni metrorum genere excitandam.

Digitized by Google

CARMINVM ELENCHVS

Quæ in triumphum Procuratoris Cornelij è Piſcopia Romana panxit Terpſicore

Doctoris D. Petri de Comitibus.

EPicedium Clito Virgini Cypriæ, Pœma.
Ad Procuratorem Io. Baptiſtam Cornelium è Piſcopia, Epigramma.
Galodemus è Patrio Perſidis regno pulſus ſe imbellem carminibu cycnum profitetur, Epigramma.
In Federicum ex victo ſe victorem idctantem in ſingulari certamine, Epigramma.
S.Leo Magnus Diuino eloquio Attilam arcet Roma, Epigramma.
De ſolemni ingreſſu Legati Regis Hiſpaniarum in Vrbem Romam, Epigr.
Gratiarum actio, dum Vatis auditor philoſophicam opinionem de mutua cauſalitate, coram frequenti panegyri propugnaret, Epigramma.
Ad Fauonium, vt hyemem pellat, Epigramma.
Ad regium Venetum Senatum, quòd toties Vati beneficentiſſimè fauerit, Epigramma.
Roma è Troiæ incendijs nata incendium patitur per Neronem, Epigramma.
Aliud, in idem argumentum.
In Neronem occiſorem Senecæ, Diræ iambicæ.
Apellis, & Protogenis æmulatio, Epigramma.
Gibberorum curſus factus Romæ tempore Bacchanalium, ante palatium Farneſianum, Epigramma.
In idem argumentum.
Ad Giſnerum, qui vt coætaneis anteiret, officijs ſordidiſſimis colebat Protectorem, Epigramma.
In Gradiſcum carnem toſtam, quàm crumena detulerat, coràm omnibus vorantem, Epigramma.
Filia vberibus matri admotis in carcere, illam eripit è morte, Epigramma.
Romulus in Tyberim cum fratre Remo protectus incolumis euadit, Epigramma.
In Roſam, Epigramma.
In Vſſainum ænigmata proponentem ridicula, & inepta, Epigramma.
Aliud. Aliud.
In Frigus, Epigramma.
Nero Poppeam coniugem calce occidit, Epigramma.
Votum terræ ad impetrandam ſerenitatem, Elegia.
Ad Dominum Cæſarem de Comitibus Vatis Patrem Crucem Hieroſol. relinquentem, vt duceret in vxorem D. Mariam Sabellam eiuſdem matrem, Elegia.

Illu-

Illuſtriſsimo, atque Excellentiſsimo Domino

D. IO. BAPTISTÆ CORNELIO

E Piſcopia Diui Marci ampliſſimo Procuratori.


D. Petrus de Comitibus Romanus

fauſtitatem.

NON alij, quàm TIBI carmen hoc debetur, PROCVRATOR EXCELLENTISSIME, cui præter communem calamitatem, tot priuatis titulis excidium Cypri fuit exitiale. Viuit adhùc in illa inſula Lunis oppreſsa CORNELIÆ GENTIS nobile monimentum; ſcilicèt regium illud palatium in Oppido PISCOPIA Tuis Atauis olim ſubiecto, vndè nomen, ſanguinemque traxiſti. Nec potuere Barbari, inter tot ſæuientis animi ſigna truculentiſsima, non minùs antiqui Domini, quàm operis maieſtatem non reuereri; adeò vt illius tantùm ſuperba veſtigia conſeruauerint. Sen-

tis

tis adhùc Tuis in viſceribus, generoſos illos ſpiritus, quos è Cypri Regina Tua contribuli, velut è Parente, cum lacte hauſiſti; & qui hæreditario ſanguinis priuilegio deriuarunt in TE. Gaudebis igitùr, publicas, priuataſque iacturas, vnius Virginis Cypriæ imbelli manu, quodammodò vltionibus compenſari. TV interim dùm illius laudes carminibus proſequor, priſcæ meæ pignus obſeruantiæ, qua ſemper TVAM colui generoſam nobilitatem, vultu excipe generoſo, vt mea Muſa tanti Domini animata præſidio, oblatrantium dentes fælix euadat. Vale.



EPI-

EPICEDIVM
CLITO CYPRIÆ VIRGINI.

PROLVSIO.

Poſt miſerandum illud excidium, quo tota Cyprus Inſularum nobiliſsima Turcarum iugo colla ſubmiſit, Ciuium ſanguine demerſa Nicoſia regni capite, vna inuenta eſt ex captiuis Virginibus Heroina, quæ ſui morte vltionem ſumeret ex inimicis Thracibus. Hæc etenim generoſa virago (quam ficto vocabulo Clitum nominauimus) nè Turcarum viua veniret in poteſtatem, iniecta in tormentarium puluerem face, ingenti cum totius Othomannicæ claſſis exitio, ad Superos euolauit. Placet igitùr tantæ Virginis immortali triumpho heroicis Muſis canere Epicedium.

VIRGINEOS auſus, memorandaque geſta Puellæ
Carminibus pandam. Vos auguſtiſſima Pindi
Numina, Latonæ comites, ſtabilique potentes
Virginitate, fauete meis conatibus; atque
Caſtalijs infuſa vadis date pocula Vati.
Threijcio poſtquàm vaſtata eſt milite tellus
Cypria, ſanguineoque Macaria flumine merſa:
Muſtaphus ductor feruens ingentibus iris,
Mille catenatis victricibus ære carinis
Circumit, edomiti reſonantia littora ponti,
Vt cadat effugij miſeris ſpes vltima victis.
Nec ſatis eſt ſæuiſſe viris, pueriſque, puelliſque,
Extinctos etiam gaudet vexare Tyrannus.
Horridus epoto veſtigia ſanguine figit,
Atque cadaueribus truculenta fronte minatur.
Semianimes artus, & membra madentia tabo

Sauciat, vt reliquo ſatientur labra cruore.
Imperat Odryſias inuadere tecta phalanges,
Auguſtaſque ædes excindere fundamentis.
Non illum mouere preces: ſunt irrita vota;
Cunctaque barbarici ſunt nutrimenta furoris.
Strata cadaueribus tumulos, vaſtaſque ruinas
Rudera componunt, extinctaque membra laborant
Carnificum dextrà, nequeuntque euadere ferrum.
Nicoſia in media eſt turris, templumq; vetuſtum
Regali ſtructum impenſa, cui gemmea ſurgit
Porticus, & fornix auratus vtrinque columnis
Ordine bis gemino nixus, ſummumqne cacumen
Argentoque, auroque nitens, gemmiſque laceſſit
Sydera Erithræis. Hoc ſe munimine tentant
Thracibus incaſsùm pueri, innuptæque puellæ
Eripere. At pernix furialibus excita monſtris
Turba volat, calybumq; ſono, ſtrepituque tubarum
Semianimes terret pueros, molleſque puellas.
Mox ſceleroſa animos agitante libidine cædis,
Aggreditur templum; telorum grandine ſpiſſa
Succutitur tellus: gemit axis: murmurat æther.
Igne micant, miſſiſque ſtrepunt tormenta metallis;
Excelſoque ruit moles iàm proxima Olympo.
Victricis Thracum claſſis ſonat vndique clamor;
Reſpondent echo montes, valleſque profundæ.
Intereà aurato ridet fulgore ſerenus
Heſperus, & Phæbe diffundit in æthera lucem,
Claraque ſplendeſcunt radianti ſydera Cælo.
Conſternatus humi miles feſſum enſe maligno
Exonerat latus, & diſſoluit membra ſopori.
Scuta per arua iacent; flammarum pompa coruſcat,
Nocturnaſque fugans tenebras, alta æmulat aſtra.
Eccè autèm placida Thraces dùm nocte quieſcunt,
Impletque oppoſitas auras hinnitibus Æthon.
Extemplò latè compleri murmure vulgus;
Threiiciaſque manus, Genteſque ad littora clamat
Buccina. Nempè legit tota pulcherrima Cypro
Ductor Idumæo mittenda tributa Tyranno.
Mille onerata gemunt ingentia plauſtra ruinis
Inſulæ, & imperio Muſtaphi adigente, propinquant

Litto-

Littoribus, centum factura natantibus ingens
Pondus nauigijs. Gemmiſque, auroque carinas
Diſpoſiti circùm famuli clamoribus implent.
Vnda gemit duro ſub pondere, dùm caua plaudunt
Tympana feſtiuis latè ſtrepitantia bombis.
Poſtquàm diuirijs tandèm exſaturata receſſit
Auri ſacra fames, diris ſitis impia ſurgit
Militibus, tota victo inſultare Pudori
Tellure, & caſtos Veneri ſacrare maniplos.
Nec mora, fœmineis, facto impete, turbinis inſtar
Agminibus bellum indicunt. Sanctiſſima miris
Tecta prophanantur, regnante Cupidine formis.
Turba puellarum captiui ad littora ponti
Raptatur, toto longè pretioſior auro,
Vt Conſtantini ſeruetur vincta Tyranni
Seruitio. Intereà diſſoluitur anchora fundo,
Velaque complentur zephiris tumefacta ſecundis.
Franguntur fluctus ronſis; clamoribus aer.
Ligna ſuperba volant, portuſque, vrbeſq; recedunt,
Captiuaſque trahunt manibus poſt terga reuinctis
Relliquias Cypri, debellataſque phalanges.
Errant intereà circum caua littora matres
Lymphatæ, danteſque comas diffundere vento,
Lunigeras cernunt ferri per Cærula puppes,
Vincliſque oppreſſas natas. Stridoribus aer
Obſtrepit alternis: diris victoribus auſtros
Iratos cupiunt, Corumque, Notumque furentes,
Neptunum aduerſum, tempeſtateſque nocentes,
Denſoſque effundi ſublimi ex æthere nimbos.
Talia dùm repetunt, tranquilla per æquora Turcę
Neptuno inſultant, dapibuſque fruuntur inemptis.
Indulgent vino; circumuolat vndique Baccus
Spumeus; & rutilus liquor ad ſuprema cerebri
Aſcendit; mixtus fumus caligine denſa
Ceruicem complet tumidam; mox ebria turba
Sydera contemnunt, & Numina ad arma laceſſunt.
Horriferos tendunt arcus, & ſpicula in auras
Impia contorquent: certatim vincere telis
Ludunt, armigeroque Deo nudo enſe minantur.
Fit fragor, & rauco criſpatur murmure Pontus.

Atque alias inter, pictas attollit in altum
Nobilis antennas, tonſiſque rubentibus vndas
Sollicitat, fuſo reliquis fulgentior auro,
Cælatoque tumens puppis prætoria ronſtro.
Hac ſupèr illuſtri vehitur fata ſanguine CLITO
Intèr Amazonidum turmas numeranda virago.
Fęmineo hæc animos voluens ſub corde viriles,
Seruitij impatiens, ſecum ergò hæc efferus, inquit,
Victricem claſsem referens impunè triumphum
Hoſtis aget? Collumque iugo depreſsa Tyranni
Inſtar ouis, tenebris marceſcam ignobilis oti?
Ah potiùs veniat turbatis fluctibus in me
Pontus; non timeo crudeli occumbere morte,
Dùm meo inexpleti mergantur ſanguine Turcæ.
Dixit; & ad Cælum frontem, palmaſque tetendit,
Et demùm hæc tacito iaculatur pectore verba.
O Pater omnipotens, fræno qui cuncta coerces,
Si quæ animo ſtant fixa meo, certiſque reuoluo
Conſilijs Rex alme probas, me Numine firma.
Vix ea; cum totum fulmen tremefecit Olympum,
Vicinamque excuſſit verrentem æquora puppim.
Haud temerè hoc cecidit, ſed vindicis ira Tonantis
Contorſit, certumque illud direxit ad ictum.
Fulminea poſtquàm demerſa eſt cuſpide puppis,
Diſcurrunt nebulæ per inane, & deſuper arce
Intonat ex alta clamor: iàm deſpice vitam
Mortalem, nàm æterna manent Te ſæcula, Virgo;
Te vocat ad facinus meditatum Numen Olympi.
Ergò vbi vicinæ præſenſit mortis honores,
Reſpondit CLITO, veniam, ſed non ego ſola:
Ingenti veniam gemina comitante caterua,
Vna acherontæis: ſtellantibus altera Cæli
Flammis deuota; huic Superum plaudente Senatu:
Illi commoto ſtrepitante pauore Barathro.
Vtraque turba mei ducetur pompa triumphi.
At tu cara mihi valeas Cythereia tellus.
Tuque animam Diuine Parens hanc excipe, linquo
Dùm mea vindicibus mortalia pondera flammis.
Sic effata, facem flagrantem immota lacerto
Suſtinet, & ſtimulis agitata pudoris acutis,

Magna-

Magnanimam librans dextram, tandem euibrat ignem.
Nec mora: concipiunt vltrices Turcica flammas
Ex imo excitas, curiſque vrgentibus, vndas
Vulcano expellunt fera tecta natantia fluctu.
Vſta gemit princeps prædis circumflua puppis,
Sulphureique aer caligine pulueris ardet.
Sollicitant triſtes morientum Nerea voces,
Sæuaque iam Lacheſis cunctorum vt fila reſoluat,
Admouet immanem in fatalia ſtamina falcem,
Nec miſeris prodeſt in vota vocare Maconem.
Laxatis furibundus abit Vulcanus habenis
Hùc illùc ſtrepitans, Boreæque, Notique furentum
Niſibus impulſus, vires acquirit eundo.
Vndiq; inane flagrat; Cælum ſtrepit omne fragore,
Perque auras ignis tenues ad ſydera tendit.
Subdita cineribus complentur cærula, & acto
Puluere ſanguineo latè rubet Amphitrite.
Terribilem Libitina canit ſatiata triumphum,
Lunigeraſque ſupèr puppes ſigna explicat atra.
Scuta virùm, galeæ, gladijque, & rapta per vndas
Cypria gaza fluunt. Vexilla ferentia Lunas
Odriſias cinefacta cadunt, cinereſque pererrant.
  Mox Heroinæ ſemeſa cadauera flammis
Fluctibus eiecta ad littus, lachrymoſa parentum
Turba ſuperpoſito hoc ſcripto, ſub marmore condunt.
  Palmare hoc ſaxum, quam totus non capit Orbis
Virginis oſſa tegit CLITVS, cui nobile ſeruant
Ingentis monumentum animi cinefacta fauillis
Æquora virgineis, & Thracia gaza per vndas.
Haud illi cæci potuere Cupidinis arcus;
Nec luſi nocuere Proci. Sibi Mulciber arſit
Ipſa ſui, iaculata facem, quà femina Mortis
Puluere furtiuæ nutribat puppis in aluo.
Sponte cadit, nè fortè Pudor ſeruire Tyranno
Diſcat Idumæo. TANTI EST COLVISSE PVDOREM.

Ad Illuſtriſsimum, & Excellentiſsimum D.

IO. BAPTISTAM CORNELIVM A PISCOPIA

D. Marci ampliſſimum Procuratorem:

Epigramma nuncupatorium.

ACcipe CORNELI plaudentis carmina Muſæ,
Quæ Tibi deuoti pectoris vrna dedit.
Reſponſant cordi modulantia tympana linguæ,
Vnàque incæptum concinuere melos.
Illa beneficijs aucta argumenta rependunt
Grati animi; hæc animos obſequioſa dicant.

GALODEMVS E PATRIO Perſidis regno pulſus, ſe imbellem carminibus cycnum profitetur.

CAntas, & ſolio deiectus Perſidis, alges
Inter deſidiæ corde tremente niues?
Non dùm cycnus eris, prodas niſi funera cantu
Deſidiæ; moriens concinit albus olor.
Torpori moriture canis? Moriare canendo;
Et verè extremo carmine cycnus eris.

IN FEDERICVM

Ex victo ſe victorem iactantem in ſingulari certamine.

HEV qualem cerno ſpeciem victoris! In ore
Vulnerum inhorreſcunt Gorgonis arte notæ.
Exulat aſpectu maieſtas Martia; vultum
Horror habet, qualem dat Lybitina genis.
Non benè verborum ſplendeſcit adorea pompa.
Victor erit quiſquis fortia facta gerit.

S.LEO

S. LEO MAGNVS

Diuino eloquio Attilam arcet Roma.

EPIGRAMMA.

ATtila terrarum fulmen, Cælique flagellum
Mænia Romulidum Barbarus enſe petit.
Vt ſenſit ſæuos vicini fulminis ignes
Roma, ſuis timuit mænibus excidium.
Attamèn exarmat minitantem fulmine dextram
Ore LEO; & ferrum victor ab vngue rapit.
Nil igitùr timeas poſthàc; nàm tuta LEONE
ROMA, Tibi haud poterunt vulnera ferre Canes.

De ſolemni ingreſſu Legati Regis Hiſpaniarum in Vrbem Romam.

QVid memorant priſcos Capitolia celſa triumphos,
Cum domito Conſul Thrace redibat ouans?
Fulgida laurigeris radiabant tempora ſertis,
Ibat & auratis vecta quadriga rotis.
Circum plaudentum vallabant agmina mille,
Turbaque prò meritis carmina mille dabant.
Inde catenati traxere vehicula Reges;
Hinc orbæ matres, hinc gemit orba nurus.
Sanguine ab hoſtili chlamis irradiata rubeſcit,
Nec niſi ſanguineo laurus ab imbre nitet.
Nunc Romæ titulo HISPANVS meliore triumphat;
Nempè triumphalis pompa cruore vacat.

Gratiarum actio, dum Vatis auditor philoſophicam opinionem de mutua cauſalitate coràm frequenti panegeri propugnaret.

QVid mentem rapior, Sophiæque reciprocat æſtu
Ingenium, inſolito Palladis igne calens?
Vror, & immiſſo flagrantibus igne, viciſſim
Vro, alternaſque ſubit mens agitata vices.
Vos animos plauſu, Sophiæque incrementa dediſtis.
Haud animo ingratos reddidit illa ſonos.

Nempè

Nempè probaturæ dedit experientia pondus,
Mutua quo vobis cauſa probata foret.
Cauſa probata foret, ſi quantùm plauſibus hinc vos
Vrgetis; tantùm hinc gratibus illa ſonet.

AD FAVONIVM, Vt hyemem pellat.

GRata veni, ò fælix, & amabilis aura Fauoni:
Hùc lenis pennas dirige veris amor.
Cernis vt in regno glacialis bruma ſuperbit
Sæua tuo, & perdit frigore veris opes?
Ergò auſint Lybies tua regna agitare Tyranni?
Surge, tuoque ſimul flamine pelle notos.
Mox vbi tranquillo regnaueris aere victor,
Ipſe triumphales Sol dabit axe rotas.

Ad Regium Venetum Senatum, quòd totiès Vati beneficentiſsimè fauerit.

TOT VENETIS refero grates, quot Apollinis aurum
Crinale affulget nexibus implicitum.
Semper erit memoranda dies, qua grande SENATVS
Mens ſtupefacta noui pignus amoris habet.
Obſequioſa flagrant corda, ambitioſa rependunt
Æternum grati pectoris obſequium.

Roma è Troiæ incendijs nata, incendium patitur per Neronem.

TRoianos tandèm ſenſit Roma vſta labores;
Scilicèt vt Troia digna Parente cadat.

Aliud.

DArdaniæ patitur genitricis Roma fauillas;
Nàm Dominus Græco ſæuior hoſte fuit.

IN

IN NERONEM OCCISOREM SENECÆ.

DIRAE IAMBICAE.

SÆuire tantùm potuit immitis manus,
Vt innocentem perdere, ac lætho dare
Non extimuerit SENECAM? Quale hoc nefas;
Vt expiandum fuerit horrifica nece?
Sed quid? Tyrannos ſemper hoc vnum iuuat,
Iuuat Innocentes perdere; illis ſcilicèt
Felicitatis magna ſuccreſcit ſeges,
Quandò Innocentes barbaræ addicunt neci, &
Diram innocenti ſanguine extinguunt ſitim.
Quòd ſi Tyrannus perdat obſcurum caput;
Haud luce dignum facinus hoc putat ſua;
Minora ſcilicèt ſcelera neſcit manus
Aſſueta quondàm grandibus, nec regium
Scelus eſſe credit, grande ni quidquam ſapit.
Regale nempè crimen hoc Reges patrant.
Si grande non ſit crimen, haud Regem decet.
Non eſt ibi crudelitas, vbi nocens
Cadit; Tyranno facta truculentèr placent.
Moderante faſces imperi tyrannide,
Virtutibus nomen dare, & probos ſequi
Nefas putatur: Criminoſa ſanctitas
Vitij ad tribunal ſiſtitur; nulli licet
Probum eſſe, pænas, Iudice Tyranno, dabit
Cuicunque Virtus cælitùs ſignat notas.
Sed Te Tyrannorum caput, Italiæ lues,
Feritatis hoſpes, horridum Mundi malum,
Parentis oſor, Carnifex Sponſæ NERO,
Acheronte Te ſub feruido furiæ manent.
Dignas, ibi ſcele[illegible] NERO, pænas dabis.
Crudelis ignis exeret tortor tuos
Æternus artus, Principum nequiſſime,
Auditor indignus SENECÆ; Auerni ſpecus
Tormenta parricidium exſoluent tuum.
Quique innocenti ſanguine immanem ſitim
Hìc temperaſti, ſulphure infeſtos làcus
Megæra Tibi amaræ propinabit Stygis.
Pocula meretur iſta cui placuit cruor.

APELLIS, ET PROTOGENIS æmulatio.

NVmina picturæ quondàm diuinus APELLES,
PROTOGENESQVE manu prælia amica gerunt.
Prò gladijs calami, tabula eſt tenuiſſima campus;
Dùm ferit, haud fuſo ſanguine dextra rubet.
Pugnat vterquè nouo certamine; Quippè triumphat
Vulnera qui calamo ſcit leuiora dare.

GIBBERORVM CVRSVS

Factus Romæ temporè Bacchanalium ante palatium Farneſianum.

IBam quà geminos regalia ad oſtia fontes
Explicat aduerſos FARNESIANA DOMVS;
Eccè tibi rauco crebeſcere murmure vulgus;
Qualis ab oppoſito vapulat vnda ſolo.
Gibborumque acies numeroſa per ampla viarum
Pernici certat tangere ſumma pede.
Siſte pedem, gibboſa cohors; cui terga tumeſcunt,
Non pede, ſed pugnis meta tenenda foret.

In idem argumentum.

CVR humeros thorace grauant, pectuſque recuruant,
Inſtar balliſtæ, cum rotat ære pilas?
An quia vt in ſtadio pedibus noua bella laceſſant,
Ceu pharetris, gibbis tela rotanda locant?
Vel quià protenſo librantur gibbere membra;
Vt librata pedem membra agitent meliùs?
Ardua librato reſponſent brachia gibbo;
Palmaque erit certo nobilitanda pede.

AD

AD GISNERVM;

Qui vt coætaneis anteiret, officijs ſordidiſsimis colebat Protectorem.

DVM Protectoris tractat de more matellam,
GISNERVS, & geſtit pondere læta manus;
Audit pro foribus murmur crebreſcere, magnum
Aduentaſſe Vrbis mænia ad alta Ducem.
Ille auidus properat ſtudio nouitatis adactus,
Et tunica imprudens pondera tecta fouet.
Eccè Coquum impingit geſtantem fortè lebetem,
Qui pede præcipiti corripiebat iter.
Effuſa maduere putri femoralia lympha,
Et terram latè fracta matella rigat.
I, nunc, & vili fortunam conde matella,
Incidit in ſcopulos ſors tua crede mihi.

IN GRADISCVM

Carnem toſtam, quam crumena detulerat, coràm omnibus vorantem.

SIccine te carnis torquet GRADISCE libido,
Faucesque ardentes vellicat atra fames?
Exercere iuuat dentes, ſpectante corona
Nobilium? Numquid, facta culina domi eſt?
I, pete ſylueſtres ſaltus, antra horrida dumis,
Antra cauernoſis vix habitanda feris.
Linque hominum turbas; commercia ciuica linque,
Helluo vix paleis exaturande ſatis.
Non benè conueniunt ſylueſtria munera Ciui;
Nec ſacræ tractat Palladis arma Ceres.
Ruſtica Romanum decuere piacula numquàm,
Nec triuijs toſta pellere carne famem.
Perge tamen, meliùs Cerealia munera raſtris,
Quàm calamum doctæ Palladis arte geres.
Doctorem facient te rura ligonibus; atque
Apta dabunt putridi viſcere ſerta bouis.

Filia vberibus matri admotis in carcere, illam eripit è morte.

IVre quidem Natura nouos miratur amores,
Vbera dùm variant ingenioſa vices.
Lac ſugit Mater, lactis dat pocula Nata;
Filiæ ab vberibus pendet adulta Parens.
Nam docuit Pietas, conuerſa lege, Parenti
Filiam ab vberibus reſtituiſſe vices.

Romulus in Tyberim cum fratre Remo proiectus incolumis euadit.

PAruulus in medijs inſtans ROMVLVS vndis
Debuerat rabido mergier amne caput.
Attamen vndarum rabiem, Tyberinaque tutus
Littora tranſilijt; nàm ſibi REMVS erat.

In Roſam.

QVid dicam? Pingitnè ROSAS Aurora capillis?
An verò noſtris tingitur illa ROSIS?
Vna eademque Venus Cæli dominatur in aſtra,
Cui famulatrices ſceptra dedere ROSÆ.
Sydera ſunt etenim Cæli nitidiſſima flores;
Terra ROSAM parui ſyderis inſtar habet.

IN VSSAINVM Ænigmata proponentem, ridicula, & inepta.

VSSAINE nouo nobis ænigmate ſemper
Inſurgis, quoties obuius ore venis.
Nil mirum; vultu, & toto Sphinx corpore cùm ſis;
Vis etiam Sphingem moribus exprimere.

Aliud

Aliud.

ÆDipus hæreret, ſiquis proponeret illi,
Quæ tu proponis verba referta dolis.
Diceret, haud illis magè dura ænigmata quondàm
Nec data Sphinge ſibi, nec potuiſſe dari.
Illa etenim certa ſtabant ænigmata lege;
Hæc nullo conſtant ordine, nec methodo.

Aliud.

INgenium Sphingis turpi ſub corpore pulchrum
Dicitur; & pulchras nobile fudit opes.
Scilicèt ingenioſa nimìs quæſita profundum
Laudabant ſummis laudibus ingenium.
Sed TVA deformi ſub corpore turpia verba,
TE turpem faciunt intus, & exterius.

In Frigus.

DIxero TE iure infernum Cacodæmona, FRIGVS,
Si tua tartareis artibus arma notem.
Nàm feris hinc cornu labrorum culmina, & imos
Cauda mordes, vt ſcorpius, inde pedes.

Nero Poppeam coniugem calce occidit.

POſt AGRIPPINÆ matris, Seneceæque magiſtri
Cædes, POPPEAM Barbarus vngue ferit.
Impingit labris colaphos, flagriſque cruentat
Membra, comas vellit, dilaceratque genas.
Terribili tandèm grauidam petit impius aluum
Calce NERO, & Coniux concidit exanimis.
Quæ potuit quondàm crudelis Principis enſes
Suſtinuiſſe, pedem iàm tolerare nequit.
Scilicèt illa pedem grauiorem ſenſit ab ictu
Robore, ferrata ſuſtæ, adamante petra.
Diſce hinc quæ fuerint truculenti membra NERONIS
Dùm pedis impulſu ſæuiùs enſe ferit.

VOTVM TERRÆ

Ad impetrandam ſerenitatem.

ELEGIA.

SIſte precor, Cælum, confundere nubibùs imbres;
  Aeraque obſcutis ſollicitare notis:
Quid retris ventorum animis noua nubila cogis?
  Parce coruſcantem contemerare diem.
Ampliùs (heu miſeram) non hæc ſunt munera amantis;
  Quid trahere, vt rursùs decidat imber aquas?
Verbera ſunt potiùs, ſunt hoſtica ſigna furoris.
  Parce precor; miſeri ſuſcipe vota ſoli.
Ah tandèm parcas: diſperge ah nubila; noſtros
  Effice tempeſtas nè populetur agros.
Effice, Terrigenæ promiſſam Numine pacem
  Excipiant. Viden vt naufraga terra perit?
Sat natùm bellis quatitur; ſatis ingruit imber
  Sanguineus; tabo ſat tumulata gemit.
Quid fera ventorum bellis ſuperaddere bella?
  Quid lacrimas lacrymis imbre ciere nouas?
Mergitur infælix proprio dùm ſanguine tellus,
  Proijcis, vt citiùs contumuletur, aquas?
Eluuione iterùm metuit demergier atra,
  Vt rursùs niteat Deucalionis opus.
Inſanæ ventorum animæ poſt Tigridis oras
  Pellant præcipiti nubila ſæua fuga.
Et Phaetontæis redeant fulgoribus horæ,
  Arida quæ reddant ora ſuperna ſolo.
Scilicèt Oceanum colimus, Populoque natantum
  Iungimur; inque ſalum noſtræ abiere domus.
Lumina quà cernunt, nihil eſt niſi Pontus, & imber;
  Omnia Pontus habet, cunctaque & imber habet,
Ipſa etiam lacrymis, quæ pandunt vota, rigantur
  Lumina, ſanguineis irradiata genis.
Cordaque deficiunt nimis indulgentia luctu;
  Nec poſsunt echo ſollicitare preces.

AD D. CÆSAREM DE COMITIBVS

Vatis patrem Crucem Hieroſolymitanam relinquentem, vt duceret in vxorem D. Mariam Sabellam eiuſdem Matrem.

ELEGIA.

QVid facis ò CÆSAR? Melitenſia ſigna relinquis,
Vt MARIÆ libes oſcula mille labris?
Heu malè caute (tuo, Pater optime, parce fatenti
Filio) in amplexus mortis, in arma ruis.
Nàmque laceſſiti bella ad ciuilia fratres
In TE conſurgent ſæuiùs inſidijs.
TE natu maior ferro nil tale verentem
Impetet, vt rabie victima cæſa cadas.
TE medius caſtris, & Ibero milite lictis,
Perdere furtiuæ ſemine mortis amat.
Atque alij, vt rapiant patrimonia, viſcera quærunt
(Crede) tuo, vt poterunt, eripuiſſe ſinu.
Vnica, quam geſtas, Solymæa repellere pugnas
Crux potis eſt, noſtri quam ſtatuere Senes.
Illius aſpectu Diſcordia mæſta relinquet
Antiquæ Comitum tecta opulenta domus.
Illius auxilio fundos, cenſuſque paternos
Spernes, diuitijs exſaturande Crucis.
Quodque caput duco, donèc Melitenſia geſtas
Signa, PETRVS Mundo non generabor ego.
O' vtinàm numquàm Mundi infelicis in auras
Veniſſem? neque enim me mala ſuſciperent.
Numquàm diuinæ patrata piacula legis
Vexaſſent animum carnificina meum.
Numquàm tartareæ ſceleroſa timoribus oræ
Mens agitata foret, facta inimica Dei.
Tu, Pater, abiecta Cruce, mille incommoda ſentis;
Pròque vna debes mille ſubire Cruces:
Noſque tuus ſanguis, Crucifixi quanta ſubimus?
Ærumnas, pugnas, inuidiæque dolos?
Hinc AVGVSTINVS capitis cruciante dolore,
Puſtula & hinc raperis tu CATHARINA ſoror.
Occidis ardenti ſoror altera percita febri
AGNES, diuino ſed magis igne calens.

Scilicèt

Scilicèt illa cadit Romano ſponſa iugali;
Tu ſoli moreris ſponſa dicata Deo.
Vltima quæ ſupereſt generoſo nupta Marito
Debuerat cunctis gaudia demetere.
Attamen inſolitis raptata doloribus; olli
Extingui potiùs, quàm peperiſse fuit.
Infelix Genitor poſt tanta pericula, tandèm
Cùm procùl è Patria ſpontè moraris, obis.
TE rapuit Lacheſis tàm florida ſtamina ſcindens,
Cum vix quinque Deo luſtra peracta tenes.
Mater adhùc remanet ſenio confecta; toroque
Perpetuo podagra ſemiſepulta iacet.
Nuda cutem introrsùs rapuerunt oſſa, ſibique
Iunxerunt, Vetulæ queis caro nulla ſubeſt.
Exagitat tuſſis pectus, ſexcentaque ventrem
Tormina dilacerant, membraque cuncta labant;
Quicunque extinctam Veneris dixere Parentem
Littoribus, veniam corde libente darem.
Nàmque illam extinctæ ſimilem fecere nocentes
Morbi, queis ſenſim corpore vita fugit.
Hæc mea Crux eſto; vereor tamen illa Latronis
Nè ſit, dùm refugit cor tolerare meum.
Tu, PATER, albentem potuiſses tradere IESV;
Quam tua geſtabant pectora ſacra Crucem.
Nunc TE diuini meditantem lumina vultus
Spero, loco Cæli proximiore Deo.
Hinc mihi diuinas, Pater optime, porrige vires;
Terga meæ vt valeant pondera ferre Crucis.

FINIS.

THALIA
DEO IMMORTALI
Muſarum ſanctiorum Apollini,
Integerrimo cordium Mercurio,
VERÆ SAPIENTIÆ PALLADI,
Atque indeficienti luminum Conditori,
Reparatori, Conſeruatori,
SVB DIVI AVGVSTINI
Vexillo
ET LAVRETANÆ VIRGINIS
auſpicijs conſecrata.
Illius ad numerum
Humillimus Diſcordantium Apollo
Laborum ſuorum in Rhetoricis metam,
Philoſophici Curſus quinquies repetiti
feliciſſimum exitum,
Carminum, & Muſarum coronidem,
Illuſtriſſimæ Academiæ glorioſiſſimum finem,
Poſt infinita terræque, mariſq; omnis generis

Digitized by Google

Exanthlata pericula,

Poſt inſperatas, litterario in puluere, cruoris

neſcias relatas victorias:

Superata Inuidia, attritis hoſtibus, detectis dolis,

confuſis delatoribus, reuocata concordia,

Beneficiorum non immemor, Deo propediè m

Innocentis militiæ Sacramentum dicturus,

AD CRVCIS ARAM

Inter

Alati Leonis amicos vngues;

Debellati Mundi trophæum

Diſcordiam ponit;

Votique iampridem concepti reus

Tabellam appendit

D. PETRVS DE COMITIBVS

ROMANVS

Artium, & S. Theologiæ Doctor, & Lector.

THA-

Digitized by Google

THALIA

CARMEN DITHYRAMBICVM

PROLVSIO.

Ad calcem Poeſis deueni, vltimamque deberem ex Muſis Thaliam, vt nonum compleret numerum, carminibus explicare. Verùm quia multa ſunt in illa, quæ varijs de cauſis longiorem exigerent animi nimiùm patientis indaginem; ideò in præſentia ſatiùs duxi, illius loco, carmen hoc exponere dithyrambicum Deo ſacrum, [illegible] vel tenebris merſurus, vel aliam in lucem opportunius expoſiturus. Tu interim, benigne Lector, in hoc veluti carminum, totiuſque poeticæ varietatis centone Vatis excipe obſequium, nihil aliud repetentis ex Te, quàm amorem ſui. Vt videlicèt opus hoc, non oculis liuore illitis, neque corde odio exuberanti, ſed animo vel beneuolo, vel ſaltem non aduerſo, qualis hominem ingenuum decet, intuearis.

VALETE Muſæ, dulce Parnaſſi decus,
Melos decorum, grande curarum æſtibus
Lenimen, vnda ſuauis arenti labro,
Gratum laborum ſaccharum, lenis quies
Animi vagantis fluctibus ſæui maris,
Et inquietis portus, ipſius nigræ
Stygis malorum regiæ vnicum bonum,
Orphei canori barbiti inuctum fide.
Vale Sororum Rector Aonij chori
Apollo, Vatum Numen, & telis potens,
Vindex dolorum malleus, cordis tepor
Furentis, aura nobilis tetri ætheris,
Amabilis Tyrannus, innocens furor,
Parens amorum ingratus, & gratus ſimul.
Dùm corda vulneras, manus vnà applicas
Medicas benignus vulneri. Sanas, feris:
Fugas, fugatos retrahis: pellis, vocas:

Mœrore torques, gaudia & ſimul feris:
Lacrymas amaras luminum, & dulces cies:
Semperque riſum deprimis, cum auges magis.
Diapaſma regium, aureum frontis decus
Olympico ſudantis in ſolo diù.
Abite libri, peſſimum Mundi malum,
Peſtis iuuentæ, mentis infelix lues,
Doloſus animi carnifex, vitæ liuor,
Inſenſus hoſtis gaudij, vector necis.
Noſco tuos, inimica dolos, fraudeſque nocentes
Pallas, ab ætherei cerebro deducta Parentis,
Vt cerebrum nobis tollas; armataque geſtas
Brachia, Gorgonei peſtem referentia vultus;
Scilicèt vt viſu poſſint lapideſcere monſtri
Quæ tua ſollicitæ ſectantur ſigna cohortes.
Non benè conueniunt oleis, queis tempora fulgent
Caſſis, & haſta. Manus cur ægide læua rigeſcit,
Ni fera ſanguineum geſtarent pectora Martem?
Recede noſtris ergò penatibus,
Nutrix furorum, Pallas amoribus.
Depræliandi viribus ingeni,
Cordique pennæ cuſpide, pharmaco
Tollenda nullo figere vulnera.
Teque innocentem dixero? Coniugem
Immò furentis Martis, & ipſius
Dicam ſororem Cerberei canis.
Depone longam bellica cycladem
Tergis Amazon; nàm tua dedecent
[illegible] pacis corpora candidæ
Veſtes. Rubentes indue purpuras
[illegible]endi ſanguinis indices,
Et ſtringe ferrum, caſſide deſuper
Vincta, cruenta vt prælia inſtiges manu.
Te CHRISTE ſector; parce criminum lui,
Qua pectus olim ſordidum
Totiès amicas ætheris catervas
Fugauit eheu longiùs,
Bibitque tetrum Cerberi ab inguine
Virus peſtiferum, cordaque turgida
Tabo, fulmineum ad bella laceſſere

Auſa

Auſa Tonantem.
Aliam proinde Palladem poſthàc placet
Sequi, Tonantis Nati quam genuit cruor.
Sub illa Olympi ſemitam Mundo procùl
Diſcam multiplici Aligerum præeunte caterua,
Legeſque ſanguine exaratas Numinis
Colere, & fugacis linquere Orbis dogmata,
Nigrique iuſſa Principis contemnere.
Aſperos Thebes meditor receſſus,
Antraque obſcuris habitata laruis,
Et perhorrentes tenebris latebras
Caucaſi, Æthnæis ſpecus execrandum
Ignibus, duris Steropum caminis
Nobile, exeſæ penetrale rupis,
Quà fluctuantes Triquetræ procellas
Nauita cernit.
Inde oculis potero tenebroſi carceris oras
Aſpicere, & miſeras inuiſere mente phalanges
Sontium, pænis cruciante flamma
Debitos Manes, quotiès Satelles
Tartari, occultis laqueis parabit
Nectere corda.
Illìc ſollicitantibus
Curis mens pia libera,
Cæli pulchra palatia
Luſtrare aſſiduò, vagas
Diuùm cernere regias,
Et tot lucida ſydera,
Immò Sole nitentius
Ipſum Numen amabile,
Et dulcis potero Genitricis ab vbere nectar
Sugere diuinum, quo Natum pauit in Orbe,
Cum ſua mortali contexit ſyrmate membra.
O me beatum, cui mala pondera
Mundi laborem non facient trucem,
Immò cui leuem ſydereus crucem
Reddet Puellus, filius Orbium
Regis, Solique, atque ætheris arbitri.
Tecta LAVRETI pretioſa tangam,
Virginis quondàm penetrale ſacrum,

Quod

Quod frequentarunt Superum colentum
Agmina mille.
Ibi recuruo Principem Cæli genu
MARIAM, frequenti, & Filium colam prece.
Ipſaſque noctes integras commercio
Ducam innocenti Numinis, ſemper vigil
Pendentis alti roboris de vertice.
Sacriſque plantis oſcula, & palmis ſacris
Sexcenta mille figere ardenti labro
Conabor, omnibus remotis arbitris,
Inhiando ſemper faucibus, numquàm ſatur.
Cælites inter, MARIÆQVE dulces
Virginis palmas, potero frequenter
Carpere amplexus lateris, ſurenti
Lancea quondàm reſerati; & ipſo
Vulnerum dulci meliùs fluentem
Nectare, audaci Domini cruorem
Lambere lingua.
Clauſtra Diuinis celebrata plantis,
Tamdiù Diuis habitata, IOSEPH
Millies ſacris operum figuris
Nobilitata, crucíſque ſui ſignata Puelli
Quam toties fabrefecit amans ſibi Numen Amoris;
Nempè ſuis pænis dùm proludebat IESVS:
Illa meæ fuerint reliquæ ſolamina vitæ,
Atque illinc potero violentiùs aſtra ſubire;
Quandoquidèm è Cælo violentia ſola triumphat.
Ibi relictis omnibus, Chriſtum ſequar,
Eiuſque clauis porrigam lætus manum.
Nec non trabali terga componam cruci,
Frontemque ſpinis texere haud renuet caput
Muſis vacabo, non tamen impijs,
Nec murmur edam mollis Apollinis,
Quod poſſit aures arce ab alta
Tundere Cælicolum pudicas.
Abi Poeſis impiæ frons impudens,
Veneris miniſtra, fomes infauſtus mali,
Pudoris oſor, criminum inſignis latro.
I, garrientum vulgus amabile
Quondàm canenti Pieridum chorus;

Inſanientes ite Vates,
Et Veneris famuli lepores.
Sanctiùs poſthàc numeros ciebo
Virginis puris, Superumque gratos
Auribus, cordis reſonante plectro
Dulce gementis.
Atramenta dabunt lacrymæ, ſuſpiria voces,
Ictaque ſanguineis reſonabunt pectora flagris.
Tu lumen Orbis nobilis Africæ
Paſtor, & Cæli melior ſuperni
Hoſpes, cui Superum tecta regurgitant
AVGVSTINE cohortibus,
Tu Vatis oro præſidium cape,
Qui Mundi honores linquere cogitat,
Teque mortales præeunte ſenſus,
Corde voluptates contemnere geſtit, IESV
Vt crucem poſſit lacrymis rigare,
Quam corde geſtat, pectoris hoſpitem,
Vitamque puris ducere proximam
Moribus Diuùm, ſimilemque caſtæ
VIRGINI Matri, niueum pudorem
Quæ vel in partu potuit fouere
Pectoris igne.
Tuere partus ingeni volumina
Edita luci;
Potiſſimùmque carminum hoc opuſculum
Ab inuidentum dentibus.
Atque exarandos lumine dirige
Feliciori, vt mens pia neſciat
Iubere, verbis reddere dexteræ
Senſus, Tonantis auribus
Haud congruentes. Inſtrue ſpiritum
Calami ſequacem, vt Numinis tantùm queat
Scribere facta ſui, & Superùm celebrare triumphos.

Muſarum, et totius Operis finis.

PROTESTATIO AVTHORIS.

QVæcumque in omnibus his Muſis à me ſcripta ſunt, omnia poeticè tantùm dicta volo. Neque enim admitto Fatum, aliaſque Poeticas fictitias Deitates. Quare omnia ſpontè ſubijcio cenſuræ, & iudicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam ſolam vt fidei petram, & magiſtram colo; Et prò cuius incolumitate, & propagatione etiàm ſanguinem effundere paratus ſum.

TOTIVS OPERIS APPROBATIO.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo oſſeruato per fede del Padre Inquiſitore, non eſſerui nel libro ſcritto *Poeſis ſacra, & prophana, &c.* del Dottor D. Pietro Conti, coſa contro la ſanta fede; E parimente per atteſtato del noſtro Segretario niente contro i Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſere ſtampato, douendo oſſeruarſi gli ordini, &c.

Data dal noſtro Magiſtrato li 10. Marzo 1660.

(Zuanne Donato Reformatore.
(Andrea Piſani Reform. e Procuratore.

Alemante Angelo Donnini Segr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google